
PULSAT ILLA CAMPANA

M. GEORGII ANDREÆ HELWINGII,

PASTOR. ANGERBURG. ET REGIÆ SCIENT. SOCIETAT. BEROL. MEMBRI,


FLORÆ CAMPANA SEU PULSATILLA,

CUM SUIS SPECIEBUS ET VARIETATIBUS METHODICE CONSIDERATA, ET INTERSPERSIS VARIIS OBSERVATIONIBUS OCULIS CURIOSORUM EXPOSITA,

CUM XII. ICONIBUS, QVARUM NONNULLÆ NUNQVAM ANTE HAC ÆRI INCISÆ.



LIPSIÆ,
LITERIS IMMANUELIS TITII.
1704


Jos. Banks
Jos. Banks



Lectori benevolo Salutem!



Viget hic mos in aulis Nobilium, ut paratis cibis mensæque appositis, domestici pulsu æris campani vel ad prandendum vel ad coenandum convocentur. Cum enim illi diversis operibus intenti, atque hinc inde distracti, solo vocis sono una vix arcessi queant, felicius multo campanæ pulsu ad consumendas escas, refocillandasque vires suas quasi compelli possunt. In civitatibus & Rebuspublicis rite constitutis hujus vices, scite elaborata & omnino accurata, quæque ex ædibus summis prominere solent horologia, quod oportune sonent & diurnas nocturnasque ære campano horas clare civibus denuncient, præstare videntur. His enim velut nunciis admoniti singuli opus suum rite auspicari, rite finire queunt: gymnasia pueri, forum mercatores, curiam senatores, clerici & religiosi chorum statuto tempore frequentant; operarii tempus cœnæ attendunt, & horas ut inviolatam actionum suarum regulam religiose observant. Non in cassum hanc in rem Cassiodorus: *Ordini servando horologium necessarium propter distributionem horarum*, dixit. Lib. div. Lect. cap. 30. & lib. 1. variar. Epist. 46.

FLORA multicolor, viridi residens in gramine ut in aula, suos Amasios & genuinos filios tempore hyemali latebris domesticis inclusos, ineunte vere dapibus suis exsatiare satagens, ordinem aulicis receptum hactenus observare consvevit, *campanæ* scilicet cujusdam pulsu, eos non tam ad recreandos oculos

corporis, quam apprime refocillandos animos invitatura. Floribus enim simulac revirescente anno arva, sylvas & prata coronat, *mensam* sternit, inque ea odoriferas & versicolores plantas, ut dapes, exponit, & campana, cujus vicem ei *Pulsatilla*, quæ, quod *quasi pulset illa campana*, dicta mihi videtur, præstat, animos prætereuntium pulcherrima amœnitate sua, admiranda colorum varietate, diversimoda specierum multitudine & forma, quasi tintinnabulo ejusque repetito sono ad se trahit, vocat, & hisce tam benignis & largis initiis præstitis, innumerabilem tota æstate exponendarum dapium abundantiam promittit. Adeo ut non immerito dici possit: *Pulsatilla campana*, & invitat singulos homines amanter humaniterque ad consideranda stupenda DEI opera, quæ magnificum demonstrant creatoris sui nomen in omni terra, testanturque *cœlestem promum condum*, *Dominum*, *Jehovah*, cellam penuariam suam jam aperuisse, & ad exhilarandos animos, recreandos oculos & satianda corpora singula cum quadam venusta benignitate ita adaptasse, ut sine admiratione nec in contemplationem trahi, nec ad usum qualemcunque adhiberi vel applicari possint. Non incongrue hanc in rem Botanicis quibusdam placuit, *Pulsatillam Nolam culinarem*, & Germanico idiomate Küchen-Schelle, nuncupare; scilicet tam ad ostendendam externam formam & effigiem, qua campanam vel nolam cum suo pistillo repræsentat, quam singularem præsertim gratiam, quam blandis suis illecebris, dum floret, in animis hominum conciliare videtur. Quod etiam hactenus ostendere voluisse arbitror, Nobiles quosdam Prussiæ in villis suis, dum campanas salicum arboribus & caudicibus appendere consveverint, scilicet ad designandam divinæ munificentiæ curam, quæ in quotannis revirescentis & refrondescentis arboris hujusmodi rediviva facie, sono campanæ, ad escam invitante, tam præsentes, quam absentes de quotannis repetunda & iteranda beneficentia sua & larga sustentatione certificat. Idem quoque olim veteres de famosissima

ſima illa, ut vocat Hieronymus (ad Paulin. in Prol. S. Script.) Æthiopum *Solis Menſa* epulis omnibus cumulata, & nunquam deficiente, quantumvis hinc inde undique fama tanti miraculi accerſitis hominibus ſpoliaretur, ſub ſabulæ involucro adumbrare voluerunt, teſtibus Solino, quem adire operæ pretium eſt: *Locus apud Æthiopes eſt Heliotrapeza, opiparis epulis ſemper refertus, quibus indiſcrete omnes veſcuntur: nam etiam divinitus eas augeri ferunt;* (cap. 43.) Et Pomponio Mela ſic differente: *Eſt locus apparatus, epulis ſemper refertus: & quia, ut libet, veſci volentibus licet, ἡλίȣ τράπεζαν appellant, & quæ paſſim appoſita ſunt, affirmant naſci ſubinde divinitus.* p. 96. Nihil aliud indigitantes, quam quod DEus T. O. M. nobis veram *Veri Solis Menſam*, quotannis redeunte vere, ex ſingulari gratia, aperta liberali ſua manu, per totum terrarum orbem, varii generis cibis ſemper onuſtam exhibeat, ſatietque omne quod vivit cum benedictione; adeo, ut nobis jam non opus ſit, vel cœnam Hecatæ quærere, vel cum Apollonio Thyanæo, de quo Philoſtratus in ejus vita, ad ultimos usque Gymnoſophiſtas penetrare, ut *Solis Menſam*, tandem aliquando, tot maris terræque ſpatiis emenſis accumbere posſimus, ſed ubique nobis jam inexplicabilis *Summi Convivatoris* munificentia patet & aperta eſt. Ad hanc accuratius contemplandam, amicabiliter nos invitat *Floræ campana* ſeu *Pulſatilla.* Terroris plenam quondam campanam, ferunt adornaſſe Petrum Aragoniæ Regem; Hic namque cum turbas ac ſeditionem regni ſui ſedare præſumpſiſſet, decrevit inuſitato remedio atrocius in capita ſævire: ut vel ſic membra ſeditioſa enervaret, & parentes turbulentos liberis ſuis, ne eorum veſtigiis inſiſterent, in exemplum proponeret. Ad hoc Principes ſui rebelles in palatium acciverat, deliberaturus cum iis, qui campana conflari poſſet, cujus ſonus toto Aragoniæ regno exaudiretur? Convocati proceres, impudenter Regis conſilium ſannis excipiebant. Sed Rex cujusque ſenſum ſe explorare velle aſſeruit; ac illico quemque in ſecretum conclave admiſſum,

 ca-

capite plecti ac trunca cadavera in perispheriam ad formam campanæ constitui jussit. Supererat Princeps a Rege primus, qui cruento hoc spectaculo attonitus, rogatus fuit: Ecquid huic campanæ deesse sibi videretur? Hic hærere, tergiversari volens, jussus dicere: Egregia, inquit, est, hoc tandem subtimide pronuncians, malleum, quo sonet, desiderari. Ad quæ Rex apposite: Tu ille malleus eris: ac e vestigio & ille capite minutus, medius vicem mallei subiit. Mox interfectorum liberos Rex ingredi jubet, ad quos conversus: Cernitis, inquit, quod Parentes vestri pro meritis supplicium luerint, si eorum exitum reformidatis, facta quoque execramini. Quod & fecerunt, & sic hujus campanæ sonus, non modo Aragoniam, sed & totam Hispaniam implevit. Nostra quam hic proponimus campana, non sangvinolentam quandam cladem nobis denunciat, equidem tremendam semper Majestatem Divinam in maleficos severe omni tempore animadvertentem non inficiatur, munificam tamen & clementiæ plenam in pios & bonos nobis proponit, & quasi ore & lingva loquitur, ejusque beneficentiam non solum Aragoniæ vel Hispaniæ, verum etiam nostræ Prussiæ, imo omni terræ quot-
Ps. 135, 21. annis denunciat: clamans quasi & resonans illud Davidis: *Benedictus Jehovah, ex Siion, qui habitat in Jerusalaim. Halelu-Jah.*

Hæc mihi probe consideranti, occasio oborta, ad penitius rimandos naturæ thesauros, invitatrices plantas scilicet *Pulsatillas*, hocce Tractatu prosequi, Tuisque L. B. oculis exponere. Suscipe quicunque fueris, hunc qualemcunque laborem meum æquo animo, bonique consule, & sicubi me hallucinatum fuisse deprehendes, non temere reprehende, sed amanter admone, illudque cogita, me in juvanda re herbaria voluntatem exhibere voluisse; Et si DEUS vitam & vires concesserit, brevi, Lexicon Rei Herbariæ Tetraglotton, Latino-Græco-Germanico-Polonicum, in quo simul Instrumenta Horticulturæ & Rei rusticæ, insuper Vegetabilium in Sacra Scriptura memoratorum descriptio, & Etymologica explicatio exhibebitur, expecta. Vale. Angerburgi.

Qvod bene vortat Naturæ & Artis Autor DEus in Secula benedictus.

* * *

SECTIO PRIMA
Theoretica,
eaque
Philologico - Botanica.

CAPUT I.
Pulsatillæ nomen designat.

§. I.

MUlta testante Varrone lib. 4. de lingua Latina p. 1. *ideo sunt obscura, quod non omnis impositio verborum extat, quædam enim vetustas delevit: nec quæ extat sine mendo omnis imposita: nec quæ recte est imposita cuncta manet: multa enim verba literis commutatis sunt interpolata: neque omnis origo est nostræ lingvæ e vernaculis verbis, & multa verba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant.* Hinc factum ut viri eruditione clarissimi in describendis rebus occupati, prius de explicatione nominis, præprimis si non satis fuerit cognitum, ut de fundamento cogitarent. Nam sicuti in ædificanda domo prius fundamentum ponendum est, quo posito domus exactius exstrui possit, ita in demonstranda & adstruenda rerum natura, nominis ejusque Etymologiæ, plana & perspicua enodatio præmittenda est. Nomina enim sunt, διδασκαλικὰ καὶ διακριτικὰ τῆς ὀσίας ut Plato vult in Cratylo. Quæ vestigia veterum & nos prementes, non incongruum nos facturos speramus, si Etymologiam vocis, utpote cujus cognitione facilior transitus in ipsius

ipſius rei perceptionem dabitur, quantum fieri poterit, evolverimus.

§. II.

Vocatur autem planta noſtra vulgari nomine *Pulſatilla*: Nullum dubium eſt, quin ſapientiſſimus omnium rerum creator, in primæva creatione dicens: *Herbaſcat terra herbulas, herbas ſementantes ſemen, herbas fructiferas &c.* Gen. I, 11. & hanc omnipotente Verbo ſuo produxerit, ita, ut adhuc quotannis eandem cum ceteris plantis & ſtirpibus, eadem vi propaget, mediaque his propagandis deſtinata foveat. Quo vero fundamento Paracelſus ejusque aſſeclæ ſtatuere non erubuerint arte Cabaliſtica & nuda imaginatione gigni & produci poſſe plantas cujusque generis, quilibet tam ex modo dictis colligere poterit, quam ſi attenderit, quam infirmo dicta Cabala nitatur fundamento: de quo ſi quis plura legere cupit, Sennerti Paracelſ. evolvere poterit. Si vetuſtiſſimorum ſcriptorum evolverimus monumenta, vocabulum pulſatillæ nullibi nobis occurret. Græci rei herbariæ ſcriptores, ut Hippocrates, qui primus medendi præcepta tradidit, & herbarum denominatione facultatumque recenſione, integra volumina replevit, deſcriptiones omiſit, & ſine dubio Cratevæ Herbariorum ſui temporis Principi ſupplendas reliquit, ne verbulo quidem pulſatillæ meminit. Ereſius Theophraſtus Platonis & Ariſtotelis genuinus diſcipulus, licet in concinnanda plantarum hiſtoria & cauſis multum deſudaverit, pulſatillæ tamen mentionem non injecit. Id quod de Galeno, Dioſcoride, Paulo Ægineta, antiquiſſimis rei herbariæ ſcriptoribus Græcis fateri cogimur, utpote in quorum voluminibus, ne veſtigium quidem vocabuli pulſatillæ reperire licet. Inter Latinos Scriptores antiquiſſimos habemus Lucium Junium Columellam Gaditanum, cui accenſendus C. Plinius Secundus &c. Verum & hos tacuiſſe vocabulum pulſatillæ, ſufficienter ipſorum ſcripta teſtantur. Fuerunt quoque ex Arabibus plurimi, in hoc ſtudii genere exercitatiſſimi; verum

Pulsatillæ Anemon. fol. varie-tates:













verum neque ex Razis, neque ex Avicennæ, neque ex Averrois Secta Mahumedani monumentis aliquid de pulsatilla colligere licet.

§. III.

Postquam autem jam ostensum est, ex antiquorum scriptis originem suam non traxisse vocabulum pulsatillæ, modernarum quoque lingvarum genio nullatenus respondeat, extra omnem dubitationis aleam jam erit positum peregrinum & origine barbarum esse. Mos enim tum temporis ab omnibus erat receptus, quo nomina non ex rerum natura, sed ex causis extrinsecis & ad exhauriendam cognitionem plantarum nihil facientibus eruerunt: observata aliquantisper vel virium, vel similitudinis cujusdam, soli vel temporis, quo florere solent, ratione. Hinc magna earum copia, de quibus non constat, quare sic & non aliter appellatæ, scilicet propterea, quod ab imperito vulgo earum nomina primum excogitata, pronunciatione barbara prolata, & neglecta ratione etiam a viris eruditis retenta, scriptisque Botanicis indita sunt. Quo fato quoque factum, ut & Pulsatilla, testibus autoribus adversariorum a Barbaris nomen suum adepta sit: & ut suspicantur autores modo dicti, ideo, quod seminum pappus leni aura huc atque illuc pultetur & agitetur, conf. Lobelii & Penæ stirpium adversaria pag. 141. Matthiolus Comment. in Dioscoridem pag. 462. circa finem vocabulum *Italicum* esse tradit: quod sagacissimo Rajo Anglo quoque placuit, sic in hanc rem differenti: *Nomen pulsatilla Italicum est, siquidem inibi ita vulgo dicitur.* Histor. Plantar. Tom. I. p. 633. Cui novum illud Cœli Botanici sidus Joseph Pitton Tournefort affulget, dicens: *Verbum Italum Pulsatilla Latinum fecerunt Herbarii.* Instit. Rei Herb. p. 284.

§. IV.

Non tamen ridendos putamus eos, qui pulsatillam vel respectu fictæ originis vel similitudinis cujusdam a pulsu, quod ostia anni pulset, verque instare indicet, ut doctissimus Menzelius in indice suo universali loqui amat, deducendam statuunt:

vel quod pulsatilla nihil aliud significet, quam *pulsat-illa* scilicet *campana*, quia flos illius, petalis suis penitus explicatis formam campanæ mentiri videatur. Id quod movisse autumo Botanicorum clarissimos, qui hanc plantam nomine *Nolæ culinariæ*; Germanice Küchenschelle, insignire non dubitarunt, sicuti sufficienter ex Tabernæmontano in præfatione nostra monuimus. Ipse Joh. Bauhinus Tom. 3. Histor. Univers. p. m. 409. ex Hieronymo Trago mulierculas Argentinenses herbarias Küchenschelle vel Kühschelle vocare testatur, additque si debite interpretetur, campanulam vel nolam culinæ sive culinariam, vel campanam vaccæ, aut vaccariam denotare. Conf. Tragi Kräuter-Buch part. I. cap. 138. ubi sequentia leguntur: Die Weiber nennen dieses Kraut Küchen- oder Kühschellen, darum, daß seine Blumen den Schellen oder Cymbeln gleich sind; vide & Casp. Bauhin. in Pin. p. 177. & Camerar. Comment. in Matth. edit. Germ. ait: quia in pulsatilla flos sæpe semiapertus, ut nolam referat, inde ipsi nomen datum Küchenschelle. p. m. 202.

§. V.

Ast sunt qui una hac appellatione tam Latina quam Germanica non contenti, alias adhuc excogitarunt. Advertentes enim deflorescentem pulsatillam seminum canitie papposa barbam efformare, barbam capri, German. Bocksbarth dicendam putarunt, vid. Herbarium Pancoviozornianum p. 327. Quibus suffragari videtur Schwenckfeldius, qui hanc appellationem in suo Catalogo stirpium Silesiæ non solum retinuit, sed adhuc ad magis exprimendam rei emphasin, nomen Grau Bergmännlein addidit. Quam appellationem Joh. Bauhin. l. c. ex aliorum opinione quasi corrigere volens Wildmannskraut interpretatus est. Huc collimat & Matthiolus Comment. in Dioscorid. semen hujus plantæ barbatum nominans, p. m. 463. Non incongrue Casp. & Joh. Bauhin. hanc ob causam Græco nomine ὀρίγερον ab ὄρος mons & ὁ γέρων senex, quasi dicere montanum senecionem, intitulandam censuerunt. Cur au-

ten

tem alii caudam vulpis dixere, facile ex hac ipsa pilosa facie, concludere licebit.

§ VI.

Alii iterum incerta derivatione Hackelkraut, paulo mutatis literis Hekken vel Hakenkraut efferre consveverunt: quia scilicet in collibus arenosis, auf denen Sandhacken, Hügeln und Hocken, auf den höckrichen dürren Hügeln tempore vernali copiose reperitur. De qua appellatione videri poterit Matthiol. in Dioscorid. Verum aptius ei nomen Osterbluhm tribuisse videntur, qui tempus Paschale florenti Pulsatillæ a natura destinatum quotannis observarunt: unde ei etiam nomen Anglicum *Pasqveflower*, ut testatur Rajus Anglus in Historia, & Gallice *Passefleur*, & juxta recentiores *coquelourde*, satis convenienter datum. Cur autem quibusdam Schlotten vel Schlossenbluhm, vel juxta Helvetiorum pronunciationem Bitzwurtz, ut vult Emanuel König in regno vegetabili pag. 91. appelletur, non difficilis est conjectura, scilicet quod posterius idem significare videatur quod Beitzwurtz, a singulari acredine, qua radix & flores pollent, & lingvam vellicare solent, vom scharffen Beissen oder Beitzen, sicuti ita explicatur a Clusio: Pastores aliqui Bitzwurtz appellant, quod cataplasmatis instar, venenatis morsibus imposita, pecori sit salutaris, Hist. rarior. lib. 2. c. 56. p. 245 Cui adstipulatur Conr. Gesnerus in Horto Germaniæ scribens: Helvetii quidam Bitzwurtz, i. e. radicem contra morsus venenatos utilem appellant: p. 247; prius vero Schlotten vel Schlossenbluhm, ex eo quod flos tam præcox sit, & tam tempestive vernali tempore è terra protrudatur, variisque injuriis aëris, præprimis vero nivi & grandini expositus sit, ut merito die Schlotten vel Schlossenbluhm, vocabulo vulgo consveto, dici mereatur: nisi potius vocabulum Schlotten, per Germanicum Schlottern, id est tremere, & huc illuc agitari, quod nolis & campanulis commune est, aptius interpretari velis. Id quod clarius expressit Schrœderus vocabulo Schlotterbluhmen

ut videre eſt, Pharmocop. l. 4. Claſſ. 1. p. 154. Verum non inepte quis ſtatueret e Belgica lingva vocabulum hoc promanaſſe, qua pulſatilla minor Ceucken ſchelle met gheſchloten blœmen vocatur, reſpectu habito ad pulſatillam flore clauſo, de quo videri poterit Cluſius editione Belgica p. 346. Si autem cauſam indagare velimus, ob quam a nonnullis Keuchel-Kraut dicatur, hanc ex eo conjicere licebit, quod tum quam maxime in flore ſit conſpicua, quando pulli a gallinis excluduntur, quibus ruſtici pulſatilla, pro medicina uti ſolent, uti ex Sectione IIda clarius erit manifeſtum.

§. VII.

Pruſſos noſtros quod attinet, hi pulſatillam Germ. idiomate Heydebluhm exprimunt. Non aliam ob cauſam, quam quod in Ericetis & inter Pinus in der Heyde ut plurimum tanta copia propullulare obſervatur, ut ejus floribus terra quaſi cœruleo panno operta videatur. Polonico idiomate vulgo Pruſſis effertur SENK. Scriptores Polonicos ſi hac in re conſulamus, occurrit nobis primo *Symon Syrenius*, qui in ſuo Herbario *Zielnik* dicto, Pulſatillæ nomen Polon. *Czarne ziele*, Latine vero herbæ nigræ dedit, eo quod nigro-purpureo vel nigricante flore (de minore enim ei forſan ſermo eſt) plerumque ſuperbire ſoleat: ex quo fundamento forſan & Carichter herbam antraceam dixit: ubi ſimul antea nominatus Syrenius addit, quod alibi *Konikleca*, vocabulo Bohemis uſitato appelletur. Quam ſententiam quoque amplexus eſt *Marcin Urzędovv* in libro cui titulus, *Herbarz Polski*, ſub nomine herbæ venti. Wilnenſes officinæ *Waſilki* inſcribunt. Sed forſan non ſine cauſa Pruſſi Pulſatillam hactenus *Senk* nominarunt. Conjicio vel a radice truncata ei nomen impoſuiſſe, ſua enim lingva Sęk truncum ſignificat, vel temporis habita ratione, a voce Polonica *Sanie*, a qua *Sanki*, Lat. trahæ, quod tum jam prodeat flos, quando adhuc trahis per nemora & ſaltus vehimur. Cum quo concordare videtur Cnapius in theſauro Latino-Polonico Tom. 2. in

quo

quo non ſolum vocabulum Pulſatillæ per *Czarne ziele* , verum etiam per Polonicum *Saſanka* reddidit extra dubium ob plauſum & jubilum quem in animo & ore viſitantium vernales has gazas, creare ſolita eſt. Verum non inhærebo pertinaciter hisce derivationibus, majus judicium hujus lingvæ peritioribus relinquens.

§. VIII.

Utut autem nomen Pulſatillæ a recentioribus in ſcholas Botanicorum demum introductum, nihilominus tamen ipſa planta veteribus non fuit incognita: verum ſub alio nomine & titulo multoties propoſita. Dioſcorides eam inter Anemones recenſere videtur ſic ſcribens: *Eſt in hoc genere, quæ nigris foliis ſit & majore acrimonia*, lib. 2. c. 167. quæ verba ejus Interpres Marcellus Vergil. de illa Anemones ſpecie, quæ Plinio *Lemonia* dicitur, per quam noſtram Pulſatillam adumbraſſe, autores in hoc ſcientiæ genere exercitatiſſimi ſtatuunt, intellecta vult. Plinii verba ſequentia ſunt: *Deinde alterum genus Anemones quæ Limonia vocatur.* Plin. Hiſt. Nat. l. 21. c. 11. p. m. 391. quem locum Plinii ex Hiſt. Plant. Theophr. lib. 6. c. 7. p. 679. quamplurimi de Pulſatilla, Anemones ſcilicet ſylveſtris genere, quam Gaza per *fremium* reddidit, interpretantur. Spigelius Iſagoge in rem Herbar. potius Phœnicium quam fremium legendum putat, a colore, quia ſcilicet Dioſcorides Anemonem Phœniceum dixerit l. 11. c. 34. fin. Bodæus a Stapel Theophr. Comment. Gazam explicaturus ait: *Sunt qui phoenion vocent: Phœnion depravatores in fremium mutarunt, quod Theodoro errandi præbuit occaſionem, qui non raro Anemonem fremium reddit. Sunt qui ex antiquo codice & Soſibio Phenion vocant. Phœnion Græcis φαίνιον ſonat.* Comment. in h. l. p. 503. Ubi poſt pauca verba Dioſcoridem citat, Anemonis duo genera ſtatuentem, unum ſcilicet ſylveſtre, ſativum alterum, iisque tertium ſubjungentem quod acrius ſit, foliisque nigris. Ex quo deinde concludit, eam, quæ ſylveſtris dicitur, *Pulſatillam* eſſe, l. c. p. 507. Verba ejus loco

mo-

modo citato sic sonant: *Alii Pulsatillam Anemonem, vel Anemones quoddam genus dictitant. Non est sativa Anemone, quod radicem ferat longam minime geniculatam, olivam quodammodo referentem, & folia magis pastinacam quam coriandrum æmulantur, hirsuta tamen, pilosa asperaque nec sylvestris est Anemone, quod folia habet multo quam sativa tenuiora, radice constet unica, non pluribus ac tenuioribus. Adversariorum Autores illud pulsatillæ genus statuunt anemonem sylvestrem, quod foliis est nigrioribus, eo moti argumento, quod hanc anemonem acriorem calidioremque tradiderit Dioscorides.* H. J. Conf. Jonston. in Notit. Regn. Vegetab. l. 2. c. 11. clas. 4. Bauhinus in Phytop. l. 2. sect. 2. p. 85. hanc quoque fovit opinionem, quod scilicet Theophr. & Plinius per λειμωνίων pulsatillam intellexerint. Nec defuit ratio, ob quam veteres Pulsatillam Anemones speciebus annumerarent: respiciebant namque ad fugacem & brevem vitam plantæ, quam citissime ventorum afflatu emarcescentem, quapropter *Herbam venti* nominabant, ut patet ex Tragi Herb. Germ. part. 1. c. 138. p. m. 153. In quod expressis verbis consentit Bodæus l. c. p. 502. scribens: Illud tamen non nego, posse flores omnes, quod fugaces & brevis vitæ sint, anemonides vocari; ubi Hesychium citat dicentem: Ανεμώνης nomen accepisse scribit, διὰ τὸ φύλλον ἐν διάσειστον εἶναι παντὶ ἀνέμῳ quod ejus folium facile moveatur ab omni vento. Quæ etiam mens Plinii fuit: *flos nunquam aperit se nisi vento spirante* ait lib. 21. c. 23. Verum re ad examen devoluta, infirmo hæc ratio niti deprehenditur fundamento: testatur enim experientia contrarium, scilicet, quod & Anemones & Pulsatillæ species cœlo sereno aperiantur, & contra tempestate & inprimis e Boreali plaga exoriente penitus occludantur. Quod considerans Casp. Bauh. Comment. in Dioscor. p. 462. Ruellum Pulsatillam Herbam venti nominantem lapsus arguit. Satius itaque statuendum puto cum sæpe dicto Bodæo a Stapel, Anemonem dici ἀπὸ τῦ ἀνέμυ & ὄλλω sive ὄλλυμι, quod flos facile a ventis disjiciatur & perdatur. Patet ita-

itaque ex modo dictis satis superque pulsatillam anemonidis speciebus annumerandam non esse, nisi quis cum Clusio ex Hist. Plant. rarior. lib. 2. c. 56. p. 246. vel cum Dodonæo Stirp. Hist. Pempt. 3. l. 4. c. 7. eam anemones cujusdam sylvestris speciem concedere vellet. Quod Rajo quoque placuit scribenti: Est autem pulsatilla nihil aliud qum anemone seminibus cincinnatis, ut videre est in ejus Histor. T. I. p. 633.

§. IX.

Sed adhuc alia nomina veteres pulsatillæ assignare videntur. Aliqui confundunt cum Ranunculo. Ex quorum numero est Valerius Cordus qui in historia sua inter species Ranunculorum, Pulsatillæ decimum assignat locum, ac leptophyllon & comatum cognominari posse autumat. p. 121. Alii cum Dodonæo edit. Gallica, teste Joh. Bauhino *Herbam Sardoam* & *Apium risus* appellare, atque pro Ranunculi auriconi (dulcis folio rotundo) specie altera, floribus purpureis describere non verentur. Quod etiam Tragum fecisse legimus. Verum licet ultro fateamur Ranunculum inter & Anemonem mediæ esse naturæ, utriusque etiam facultatibus accedere, in quod & Em. König in Regno vegetabili consentit inquiens: *Est genus Anemones, & hinc etiam prope ranunculos disponenda*; neutiquam tamen eam ranunculis accenseri posse statuimus, quod non solum ex modo dictis patet, verum etiam ex sequentibus scilicet ex radicum, florum & seminum imo foliorum examine & anatomia magis fiet manifestum. Herbamque Sardoam vel Apium risus appellare ut rem inexcusabilem rejicit Joh. Bauh. in Histor. inter alia ex hac ratione, quod Ranunculus Sardonius proprie sit Apium risus: qui autem pulsatillam Apium risus Dioscoridis autumant, risum potius quam responsum merentur, ut recte concludit Lobelius in Observat. p. 149. & in Adversar. p. 14. Confer. Dodon. Pempt. tertia lib. 4. c. 6.

CA-

CAPUT II.

Genus & Definitionem constituit.

§. I.

EXplicato jam nomine ad rem ipsam facimus progressum. Et antequam certam definitionem pulsatillæ constituamus, ad quodnam genus plantarum pertineat, prius videndum erit. Per genus hic intelligitur certa congeries plantarum, quibus nota quædam propria, seu character idem apprime ita convenit, ut omnes species sub eo contineri possint: ita enim genus intelligi voluit Doctiss. Tournef. in Inst. Rei Herb. Veteres ingentem vegetabilium numerum nullo ad peculiare genus respectu habito, diversimode disponere solebant. Quidam observando affinitates plantarum, ab externo præprimis foliorum aspectu & figura desumptas, ordinem collocandum putarunt: quidam ad caulium numerum, ad radicum vel bulbosam vel fibrosam, earumque vel crassiorem vel tenuiorem constitutionem respicientes, plantas in certa capita digesserunt: alii crescendi modum, ortum seu sedem nativam attenderunt. Multi vel usus, vel signaturæ, vel mensium & anni temporum ratione habita, peculiarem methodum construxerunt. Non pauci ex qualitatum, puta odorum, saporum ratione plurimas dijudicarunt: nec denique defuerunt, qui in solius vel seminis vel solius floris examine spem omnem collocarent. Unde factum, quod & Pulsatilla pro cujusvis arbitrio ad varias classes relegata fuerit. Scilicet, qui florum structuram attenderunt, eam mox inter coronarias easque vernales numerarunt, quod Plinium, Theophrastum & Dioscoridem, & ex recentioribus Joh. Bauhinum, Chabræum & alios fecisse videmus, mox ad discocorymbiferas exemplo Jonstonii in Not. Reg. Veget. mox denique ad Rhodoflores, quod fecit Christ. Merret Anglus M. D. & Societatis ibidem Socius in Pinace rerum Britannicarum, eas sc. quibus flos patulus, quinque constans foliis, rosarum instar dispositus

ſitus. Qui in ſeminibus auxilium quæſiverunt, ſeque novæ applicarunt methodo, cum Ammanno & Moriſonio hexapetalis immiſcuerunt polyſpermas: Hermanno duce ad Gymnopolyſpermas: Olao Rudbeccio præeunte ad Angropolyſpermas: Rajo interprete ad eas polyſpermas, quæ ſunt ſemine nudo, & flore nudo, nullo periantheo tectæ, retulerunt. Confer. Raji Hiſt. Plant. lib. 12. c. 6. Amman. in Charact. pl. Ola. Rud. Diſſert. de fundamentali plantarum notitia, item Volckmar in Flora Norimberg. p. 347.

§. II.

In tanta tamque diffuſa variarum opinionum diſcrepantia, quæ via cum Hercule in bivio conſtitutis aggredienda, vel qui duces eligendi ſint, non immerito quis quæſiverit. Num ea quæ veterum refert veſtigia? num vero quæ recentiorum commonſtrat placita? Quod Veterum in diſtribuendis plantarum generibus attinet cogitata, ea jam ſatis docte, tam a clariſſimo Ammanno in ſuo Charactere Plantarum, quam celeberrimo Rivino in Introductione generali in rem herbariam, examinata, & quoad ſingulas rationes, utpote nullo firmo fundamento ſuffultas ita feliciter diſcuſſa, ut primo ſtatim intuitu appareat, nullas denominationes herbarum, undequaque etiam fuerint deſumptæ, niſi ſimul notam characteriſticam exprimant, attendendas, ſed potius e ſcholis Botanicorum eliminandas & relegandas eſſe. Ob quam præſtitam ſolertiam modo dicta lumina in cœlo Botanico & poſt fata micant

- - velut inter ignes
Luna minores.

Et cum rem herbariam hiſce ſuis inventis maxime juvarunt, ab anilibus fabulis liberarunt, & proximam ad faſtigium perveniendi viam aperuerunt, non tam admiratione contemplandi, quam veneratione ſumma evehendi ſunt. Interim tamen cum nondum omnem rem perfecerint, ſed aliis ſupplendam reliquerint, hic non negligendam putavimus laudem promeritam

Mo-

Morisonii Scoti Viri ad rei herbariæ gloriam nati, & Raji itidem Viri publicum bonum juvandi studiosissimi, qui plantas hucusque cognitas, non solum in certa capita collegerunt, verum etiam in sua genera, singulorum propriis notis recensitis ita distinxerunt, ut facilis jam, ad reliquas, orbi erudito adhuc incognitas plantas, gradus, studiose quærentibus ostendi possit. Ast cum adhucdum non omnes modi, quibus characteres plantarum institui debeant, ab illis detecti, rei veritatem ut fundamentum magis quam autoritatem amplectentes, nec horum nec illorum vestigiis in adstruendo Pulsatillæ genere, inhærere constituimus. Sed potius ad Leges Institutionum Rei Herbariæ, ab Excellentissimo Josepho Pitt. Tournefortio Med. D. Parisiensi, Academiæ ibidem Regiæ Scientiarum Socio, & Horti Ludovici Magni hactenus Botanices Professore meritissimo, Viro de re Botanica maxime merito, noviter conscriptas, quas, ob solam præ aliis excellentiam, etiam nobis complacuimus, pulsatillæ nostræ certum aliquod genus adstruere studebimus. Moti accuratiore & analytica demonstratione, quam præ se ferunt, mediante qua, amplexa Gesneri & Columnæ sententia, quæ in ceteris optima visa sunt colligere, & sic ex floribus & fructibus conjunctim contemplatis, notam characteristicam constituere, sicque certum genus assignare cnnsultum duxit.

§. III.

Dispescuit autem modo laudatus Tournefort totam Rem Herbariam prius in classes, quarum numerum ad vigesimum secundum perduxit, soloque flore tanquam clavi & fundamento in institutione classium usus est. Cujus ita & non aliter constituti ordinis, rationem, eamque sat prægnantem p. 66. in Inst. R. H. subministrat. Constitutis autem classibus, & descriptis in prima, secunda, tertia & quarta herbis & suffruticibus, flore monopetalo, pergit in quinta classe ad flores polypetalos & quidem cruciformes: donec tandem sexta classe plan-

ta

tas floribus polypetalis rosaceis ex professo pertractare sibi proponit: nimirum eas, quarum flores ex quatuor petalis in orbem positis compositi sunt, ad eum modum, quo petala rosarum disposita esse solent. Atque sic pulsatillam, utpote quæ ejusmodi rosaceo flore plurimis petalis conspicuo a natura prædita est, in sextam classem translocat. Verum cum ad generis constitutionem classificatio non sufficiat, sed ex sententia Magni Tournefortii, floris & fructus ratio simul & conjunctim attendi debeat, ulterius ad multiformem seminum in pistillo apparentium figuram progreditur. Hæc vero cum in rosaceis polypetalis, partim in fructum vel capsularem, bifariam transversa parte dehiscentem, ut in Amarantho & portulaca videre est, vel multicapsularem, qualem ostendunt papavera, junci, helianthemi, alsines, Telephii & aliorum species, vel in tale pistillum, quod ex fructu ex pluribus seminibus in capitulum quoddam collectis compositum est, abit; statim patet diversas sectiones hujus classis inde oriri, nostræque pulsatillæ ultimam assignandam esse. Utpote quæ ejusmodi pistillo gaudet, quod in fructum ejusmodi abit, in quo veluti in capitulum collecta observantur semina, postea in tenue capillamentum desinentia. Cum vero nec pistillorum una eademque sit ratio, sed uni pistillo fructus adhæreat forma oblonga, alteri fere globosa, alteri cylindracea aut spicata, dolii æmula, ovato acuminata, aliis seminibus in tenue capillamentum exeuntibus, obsita; concludi iterum potest, diversa genera in quavis sectione ex floris & fructus varia dispositione non solum ordinanda esse, ita ut alia atque alia facie sese offerente, aliud atque aliud genus constitui debeat: sed etiam pulsatillæ, cum ex ultimo descriptarum plantarum numero sit, ejusmodi genus assignandum esse, sub quo omnes reliquæ species modo dictis *floribus rosaceis, polypetalis, seminibus in capillamenta abeuntibus, comprehendi possint.*

§. IV.

Perspecto jam definito, & ostensis nominibus, notam essentialem, ad generis constitutionem, necessariam adstruentibus, facilior jam transitus ad ipsam definitionem esse poterit. Equidem ejusmodi nomina jam sunt veluti quædam definitiones, quarum prima vox genus plantæ, alteræ differentiam, ut definitionis palmaria requisita exprimunt: nihilominus tamen, cum differentiæ specificæ, tantum hucusque obiter tactæ, ad ipsam autem rei perceptionem, uberior explicatio necessaria sit, specialiorem definitionis explicationem, magisque plantæ propositæ essentiam exhaurientem subjungemus. Non tamen requiremus hic secundum regulas Logicorum, definitionem omnibus numeris absolutam, cum ejusmodi ἀκρίβεια in describendis plantis non præcise requiratur, teste Galeno de different. Pulf. l. 2. c. 3. Sed contenti erimus tali definitione, quæ nobis Pulsatillam vivis (ut dicitur) coloribus adumbrare, atque accuratiorem sui cognitionem ob oculos ponere sufficiens esse posit.

§. V.

Dioscorid. descript. Dioscorides lib. 2. cap. 167. pulsatillam sub nomine Anemones secundæ descripsit, quod scilicet sit planta sylvestris foliis latioribus durioribusque, capitulum habens oblongius, florem puniceum: radices tenues & numerosas; quædam vero ex hoc genere sit nigris foliis & majore acrimonia. In quantum autem quadret hæc definitio, partim ex ante dictis, partim ex Comment. Bodæi a Stapel in Eref. Theophrast. poterit esse manifestum, inprimis autem ex Matthioli Comment. in Dioscoridem, in quo asseritur pulsatillam nullam cum anemone habere cognationem, sed esse peculiarem herbam, quæ cum primum erumpit, folia mittit incana & valde hirsuta, minutimque laciniata, quæ sapore sunt perquam acri; flos in stellæ modum dispositus, similiter hirsutus, ineunte vere dehiscit, antequam folia erumpant, nigricanti splendet purpura: e cujus medio, quidam *Descriptio Matthioli.*

aurei

aurei flosculi emicant. Caulis est rotundus & tenuis, in quo semen capilloso incanoque capitulo continetur. Radix illi subest exesa, nigri chamæleonis modo: Comment. in l. 2. Dioscor. cap. 172. p. 462. Petrus Pena & Matthias de Lobel in stirpium Adversariis p. 114. in prolixa descriptione eam Anemonibus & foliis & flore assimilant, & addunt, quod e medio florum apiculi staminaque lutea exerantur, a quorum delapsu cæsaries villosa, cirrhis crebris & cincinnis calamistratis, pennas, aut carminatum bombycis pensum referentes, appareat; semen vero sit exiguum Asclepiadis: Radix digitum crassa. h. i. Qvantum ex Clusio colligere licet, pulsatillam ex summo villosoque radicis capite multa proferre folia autumat, supina parte viridia, prona paulo candidiora & villosa, ingrati & valde acris saporis, inter quæ caulis emergit firmus, hirsutus, quem circa summum trina ut in anemonibus conjunctim amplectuntur folia, laciniata & multis divisuris secta: flos summo cauli insidens sex foliis constat, purpurascentibus & villosis, luteis staminibus præditus, quæ tandem in plumati seminis congeriem transeunt: radix oblonga, paucis fibris donata, nigro foris cortice tecta, lib. 2. c. 56. p. 244. & 245. Valer. Cord. inter Ranunculos recensitam sic describit, quod sc. habeat folia agresti pastinacæ similia, e quorum medio singularis exit caulis, cujus medium aliud folium incisuris divisum, ac si multa essent, amplectitur: in summo unicum florem sustinet, grandem, purpureum, foliis oblongis & repandis constantem, in quo stamina lutea, quæ vero in medio sunt stamina in hirsutam comam mutantur, sub quibus semen est clematidi simile. in Hist. stirp. p. 121. Chabræus tam ex Dodonæo quam Lobelio qualemcunque delineationem subministravit, in Stirpium Iconibus & Sciagraphia, Class. 30. p. 464. Sed satius erit ipsius Dodonæi audire verba: Pulsatilla constat foliis plurimis, tenuiter dissectis, asperis & pilosis: surgunt inter hæc cauliculi semissem alti, tenues & hirsuti, unico sociati foliolo minore, in quorum fastigiis flosculi, e senis folio-

Penæ & Lobelii.

Clusii descriptio.

Valer. Cord. descript.

Chabræi descript.

Dodonæi descript.

lio-

liolis oblongis, & non raro reflexis, colore ut plurimum Violæ nigræ purpureo, ſtaminibus in medio luteis: capitulum ſuccedit villoſa cæſarie comoſum & incaneſcens, ſub qua ſemen: radix longa, digitalis quandoque craſſitudinis. Stirp. Hiſt. Pempt. 4. c. 5. p. 432.

Raji Defin. Rajus ſuccinctam quidem & brevem Pulſatillæ definitionem tradit, ſcilicet quod nihil aliud ſit, quam anemone ſeminibus cincinnatis ſeu plumula caudatis; verum ſtatim in mox ſequentibus, Pulſatillam vulgarem propoſiturus, ad eam Joh. Bauhini deſcriptionem pulſatillis in Hiſt. ſua Univerſali, generatim traditam, melioris explicationis gratia accommodat. Raj. Hiſt. Tom. I. lib. 12. c. 6. p. 633.

Amman. & Moriſon. Ammannus & Moriſonius pulſatillam definiunt, quod ſit hexapetalon, cujus flori deciduo ſuccedunt plurima ſemina ſimul juncta, verſus ſummum caulis faſtigium, a quorum ſingulis villoſa cæſaries ſeu corona incaneſcens proſilit, vid. Amman. Charact. Plant. p. 371. & Moriſ. Hiſt. p. 427. & 428.

P. Hermanni. Paulus Hermannus teſte Volkmar. in Flor. Norimberg. Gymnopolyſpermam dixit: ſeminibus in capitulum congeſtis & lanuginoſis ſeu papposis, longis plumulis comatis: floribus nudis, caulibus terminate foliatis, conf. Volkmar. Flor. Norimb. p. 347. Ut jam taceamus prolixiores variantibus phraſibus & vocabulis ab Hieronymo Trago, Tabernæmontano, Camerario & pluribus aliis Germanica lingva traditas Pulſatillæ deſcriptiones & definitiones: quæ omnes & ſingulæ cum fere una eademque oberrent chorda, & mox pulſatillam vulgarem, mox vero minorem deſcribant, nec tamen rei eſſentiam exhauriant, quoniam mox differentias ſpecificas omittant, mox genus ipſum negligant, ſola Tourneſortiana hac vice erimus contenti.

§. VI

Tournef. Defin. Definit autem ſæpe laudatus Autor Pulſatillam quod ſit "Plantæ genus, flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem "poſitis conſtante: ex cujus meditullio ſurgit piſtillum, ſtamini-"bus plerumque obſitum, quod deinde abit in fructum, in quo

velut

velut in capitulum colliguntur ſemina, in tenue capillamen-" tum deſinentia. His notis (ut ait porro) addenda ſunt folio-" la quædam, caulem infra florem cingentia. " Inſtit. R. H. Claſſ. 6. Sect. 7. Genere 2. p. 284. Quæ definitio cum quemlibet in perfectam cognitionem pulſatillæ perducere poſſit, ei nil vel addere vel detrahere libuit. Dicitur in definitione eſſe *Planta:* Mirum hoc videbitur nonnullis, cum in præcedentibus ſæpiſſime nominaverimus *Herbam.* Verum ſciendum eſt, quod hic non ſit adeo ſcrupuloſe inquirendum, num pulſatilla herbæ num plantæ nomine exprimi debeat. Interim tamen ut pateat qualis inter herbam & plantam intercedat differentia, fuſius de hiſce diſſerere operæ pretium erit. *Herbæ & plantæ differentia.* Veteres herbam Græce πόα, βοτάνη efferebant, quæ ſtirpem non habet e radice, ſed ſtatim folia producit, reliqua ad cremium, ad frutices & arbores relegabant. Quam herbæ definitionem ſolide jam refutavit Coſtæus lib. de univerſ. Stirpium natura 1. c. 10. Bodæus a Stapel ex antiquorum ſententia herbam dicit eſſe ſtirpem, cujus ſuperficies eſt ex foliis tantum ut Phyllitis &c. vel etiam ex caule ſed illo annuo, carnoſo & qui diutius durare nequit, lignoſusque non eſt, niſi cum exaruerit, quam deſcriptionem quoque Rajus citat in Hiſt. Plant. Tom. I. p. 51. Neoterici Herbæ notam characteriſticam exinde conſtituere allaborant, quod ejus ſatu ab radice illico exeunt bina foliola, quæ e ſeminis in ipſa transmutati ſubſtantia fiunt primum, caulis vero pronaſcitur modo unus, ut in cichorio, modo plures, ut in fœniculo, eaque ut plurimum eſt annua. Vel ut eruditiſſimus Tournef. ait: *quod herba proprie loquendo, ex caulis ſingulis annis pereuntis & deinde novo renaſcentis conditione & ſtatu, inprimis ſi vel ab radice foliatus, vel nudus floribus & ſemine donatus ſit, dignoſcenda ſit.* Inſt. R. H. in explicatione quarundam vocum p. 673. Hinc etiam aliqui Latinum *herba* (1) ab arvo, quod jacto ſemine in arvum, non longo tempore poſt, ipſum pullulat in herba, deduxerunt, vel (2) quia terræ fixis radicibus adhæret, nec valde


attol-

attollatur ab ea, vid. Mylium in Horto Philoſoph. p. 35. Verum cum omnes modo dictæ deſcriptiones eo coincidant, ut tantum differentiam inter frutices, ſuffrutices & arbores oſtendant, neutiquam autem differentiam inter *herbam* & *plantam* conſtituant, ideo vocabulum plantæ peculiariter examinandum erit. Planta Græcis φυτὸν a creſcendo dicta, nomen genericum eſt, quod generaliori denominatione ſub ſe & arbores & frutices & herbas continet. Hoc oſtendit ipſa definitio plantæ, quæ ſub ſe comprehendit non ſolum herbas, ſed etiam omnia corpora naturalia perfecte miſta, animata, nutriendi, augeſcendi & generandi facultate prædita, ex ſemine in viventium utilitatem enata, quam nobis ſubminiſtrat Rolf. lib. de vegetab. 1. c. 3. ob quam cauſam etiam plantæ & ſtirpis vocabula pro idem ſignificantibus ſemper habita. Ex quo patet, quod ſatius & aptius vocabulum herbæ quam plantæ in definitione pulſatillæ poni poſſet, inprimis cum vocabulum plantæ æquivocum ſit; nec definitionem ingredi deberet: Sumitur enim tum pro parte pedis humani inferiore ſive veſtigio cui inſiſtimus, & ſic Græce ἡ πλάτη appellatur, a latitudine; tum pro ſtirpe, & ſic a βλάςη, Dorice βλάτη, germine, propagine, ut vult Salmaſius in Solin. p. 830. cui (n) Latinorum more inſerto *blanta* & *planta* effertur, & pro ſurculo transferendi vel inſerendi gratia ab arbore decerpto & abſciſſo, vel pro ſtirpe adhuc tenuiore, qui cum radicibus alio transferri ſolet, uſurpatur. Unde Germani Pflantzen & Saxones inferiores Planten olera tenella hactenus appellare conſveverunt. Quo etiam nonnulli transferunt τὸ πλανᾶσθαι quod radicibus per terram erret, ut errantes ſtellæ Planetæ, unde abjecto per Syncopen (e) planta dici mereatur, conf. Adriani Cocquii Hiſt. de contempl. ſacra Plantar. l. 1. c. 2. p. 8. Utut autem jam oſtenſum ſit in definitione pulſatillæ non plantæ ſed herbæ vocabulum retinendum fuiſſe, nihilominus tamen ita nos legibus Criticorum ligare non patiemur, ut vocabulis tam plantæ quam herbæ, cum

ſic



Num: 1 ad pag 25.




















ſic uſurpaſſe optimos quoque Botanicos deprehendimus, eorum veſtigia prementes, nos quoque non promiſcue utamur: exiſtimantes nos hic non Criticos ſed Botanicos agere. Nec ſimpliciter etiam ipſe Tournefortius in deſcriptione pulſatillæ vocabulum plantæ adhibet: Vir enim Doctiſſimus ibidem ait, pulſatillam plantam eſſe ſecundum quid, ſcilicet *plantæ genus*, quo ipſo ſatis clare demonſtrat, ſe non plantæ vocabulo pro adſtruendo genere pulſatillæ uſum fuiſſe, de quo in deſcribendis plantis non tam anxie ſolicitus fuit, ſed pulſatillam deſcriptam ſub generaliori denominatione plantæ contentam in claſſem plantarum roſacearum polypetalarum introducendam, ſicque ad certum genus plantarum referendam eſſe.

§. VII.

Porro in Definitione pulſatillæ ponitur *flos roſaceus*. Ubi notanter dicitur *roſaceus* non *roſeus*, ne quis ideo ſic dictum crederet, quod colorem roſæ imitari debeat, rubore ſangvinis diffuſo cum quadam venuſtate conſpicuum, ut ſic roſeum colorem deſcribit Thyleſius lib. de coloribus p. 421. ſed *roſaceus*, non tamen iterum ideo, quod roſæ natales debeat, vel quod ex roſa factus ſit, ſicuti Lexicographi hanc vocem plerumque uſurpare conſveverunt, quo pacto etiam Medicis & officinis tam oleum quam acetum roſacea dici ſolent, quia ex roſis earumque floribus præparantur, ſed more botanicis recepto, quod formam floris ad modum roſarum diſpoſitam præ ſe ferat, ut ex Tabula ſeu num. 1. fig. a. b. & d. poterit eſſe manifeſtum. Egregie itaque Dioſcorides inter ὁ ῥόδεος roſeus & ῥόδινος ſive ῥοδεὶς roſaceus diſtinxit lib. 1. c. 115. & lib. 4. c. 45. conf. Paul. Æginet. lib. 7. c. 13. & Bodæ. a Stapel Comment. in Theoph. lib. 6. p. 552. ut ſic roſaceus idem ſit, quod ἄνθος ῥοδοειδὲς, ſive ejusmodi flos qui ex plurimis petalis componitur in orbem poſitis, quo plane modo petala florum Roſæ diſponuntur. Requiritur autem in hoc flore non tam petalorum numerus, quam diſpoſitio, hæc enim conſtans eſt, ille incertus, ut in Pulſatilla caryophyllata videre eſt &c. ſicuti ita *Definitio floris roſacei.*

D deline-

delineavit Tournef. loco ſæpe citato p. 234. Ex quo ſtatim patet pulſatillas ad campanulatos flores referri non poſſe, licet a nobis (ut ex antecedentibus patet) a pulſandis campanis inter alia Etymon traxiſſe, dictæ fuerint. Equidem non negamus plurimas plantas reperiri, quæ a campanis, ob formæ externæ analogiam appellationis ſuæ originem traxerint, eæ ſcilicet omnes, quæ expreſſe figuram campanæ æmulantur; veruntamen omnibus his, pulſatillæ, a campanarum forma quoque appellationem ſuam trahentes nullatenus annumerari poſſunt, externa enim facies & forma floris notam characteriſticam & verum genus non ſola conſtituit, ſed ad id requiritur quoque petalorum peculiaris diſpoſitio, quæ vel monopetala vel polypetala eſſe debet. Nam quando autores campanulatarum plantarum conſtituunt ordinem & quasvis ſub certa genera collocant, tum illis florem monopetalum attribuunt; pulſatilla autem cum tantum externam nutantis campanæ formam oſtendat, præterea petalis a natura prædita ſit pluribus, iisque diviſis & ſeparatis, hanc illis, methodi legibus id vetantibus aſſociare renuunt.

§. VIII.

Petala quid?

Sed quid vocabulum *Petali* Tab. ſeu num. I. lit. g. & h. expreſſi deſignat? noviter a Botanicis Latinis in uſum receptum. Primus omnium, quod conſtat, Fabius Columna, ex antiqua illa & perilluſtri Columnarum familia oriundus, & ob exquiſitam Hiſtoriæ Naturalis ſcientiam clarus, qui decimo quinto Seculo poſt Chriſtum natum vixit, uſurpavit, & quidem ideo, ut folia florum a foliis proprie dictis diſtingveret, in notis ad Nardi Antonii Rechi volumen p. 853. Equidem conatus eſt Geſnerus per petala præciſe ejusmodi folia indigitare, quæ ſeſe coloribus ſuis commendant ſic ſcribens: Folia Græci φύλλα & πέταλα vocant. Eupetalos quatuor colores habet, cœruleum, igneum, minii, mali, Plinius.

Χρὴ δὲ καὶ εὐπέταλον πετράκεα λᾶαν ἔχοντας,

Aρα-

Ἀρᾶσθαι παρὰ βωμὸν ἐναιρομένης ἑκατόμβης.

Orpheus de lapidib. quorum versuum ego lemma, non πετράκης ut codex Albinus habet, sed εὐπέταλος fecerim. Leucopetalos candorem nivis ex auro distingvit, Plinius H. I. p. 116. de fig. lap. (b) Verum sine discrimine omnia florum folia cujuscunque fuerint coloris per petala intelligi, non est quod dubitemus. Si enim antiquorum perlustraverimus monumenta, satis superque fiet manifestum non novum hoc esse vocabulum, sed jam a Græcis scriptoribus fuisse introductum, atque ab eis modo dicto sensu fuisse adhibitum. Dioscorides in descriptione Isopyri lib. 4. c. 116. p. m. 541. ejus mentionem injicit, verba ejus sunt sequentia: Ἰσόπυρον οἱ δὲ φασίολον καλοῦσιν ἀπὸ τοῦ ἐοικέναι φασιόλῳ, τῷ κατ' ἄκρον τὸ πέταλον ἕλικα φέρειν. ἔπεισι δὲ κεφαλαὶ ἐπ' ἄκρου τοῦ καυλοῦ λεπταὶ σπερματίων πλήρεις. Παραπλησίων μελανθίῳ τὴν γεῦσιν τὸ δὲ φύλλον ἀνίσῳ, quæ ex versione Marcelli Vergilii sic sonant: Isopyron sunt qui phaseolon appellant. Vocant phaseolon aliqui, quoniam in summo cacumine folium ejus in phaseolorum claviculas torquetur. Sunt & in summo tenuia ejus capitula, exiguis seminibus plena, nigellæ sapore. Folium aniso simile." Ubi tamen Marcellus Vergilius in Interpretatione vocem petali plane non attendit; sicuti etiam in Matthioli Commentario in Dioscoridem altum quoque de ea silentium. Saracenus vero pro suspecta habet, & pro ea τὸν καυλὸν legendum esse putat. Dodonæus ista Dioscoridis verba τῷ κατ' ἄκρον τὸ πέταλον ἕλικα φέρειν, plane expungenda esse censet, in Stirp. Hist. Pempt. 4. lib. 4. c. 25. p. 580. Verum si dicendum quod res est, nihil aliud τοῦ πετάλου voce quam floris folium intellexisse cum Bodæo a Stap. Comm. in lib. 6. Theophrast. c. 7. p. 518. indubitato statuimus. Expresse enim l. c. in textu inter πέταλον & φύλλον distinguit, per hocce folium stipitis vel caulis proprie dictum, per illud vero folium floris denotans. Quod vocabulum denuo repetiit lib. 1. c. 44. p. 64. Quo sensu etiam a Nicandro de rosæ flore in Georgicis adhibitum.

Αἰὲν ἐξήκοντα πέριξ κομάοντα πετήλοις

Semper illæ (roſæ) augeſcunt foliis circumcirca comantibus.

Hic notandum quod per τὸ πέταλον inprimis ejusmodi folium indigitetur, quod in latitudinem expanſum eſt. Euſtathius enim a πετάζω pando, explico derivat, & τὸ πέταλον exponit per φύλλον ἀναπεπταμένον καὶ πλατὺ folium latum & expanſum, more ſcilicet laminæ vel bracteæ cujusdam. Quod etiam Rajum movit, ut petala floris folia, ſeu laminas illas tenellas colore inſignes dixerit. Hunc uſum vocis petali amplexi quoque ſunt recentiores Botanici, partim ſtudio brevitatis ducti, partim vero ad evitandam homonymiam omnemque in deſcribendis plantis ſeſe exerentem confuſionem. Et licet Raji judicio non omnibus florum foliolis, ſed certis conditionibus incluſis, petalorum nomen competere debeat, nihilominus tamen indiscriminatim omnibus illis foliis ad mentem Tournefortii jam applicatur, quæ forma & colore cæteris partibus præſtant, quæque nunquam fiunt proprium ſeminis involucrum. Inſt. R. H. p. 70. Hinc herbæ quæ unico folio conſtant *monopetalæ*, quæ pluribus *polypetalæ*, & ſic *tripetalæ*, *tetrapetalæ*, *pentapetalæ & hexapetalæ &c.* dicuntur. Quibus compoſitis jam non tantum Homerum hymn. in Merc. ubi τριπέτηλον Ionice habet, ſed etiam Nicandrum in Ther. verſ. 839. uſurpaſſe legimus. Sicque & noſtræ pulſatillæ, cum pluribus, ſcilicet mox quinque mox ſex & rarius pluribus, a natura donata ſit, ut num. I. fig. a. b. & d. monſtrat, in definitione flores roſacei polypetali aſſignati ſunt.

Color in flore. Color in flore plerumque eſt purpuraſcens, qui tamen non in omnibus idem, ſed in aliis ſaturatior, ut violæ nigro-purpureæ aſſimiletur, ſeu ut Cluſius loqui amat, adeo purpureo-ſaturus ut niger videatur: alius tamen eſt hilarior minusque ſaturus, & vel ex cœruleo, vel ſubcœruleo purpuraſcens. Quanquam quædam candore lacteo, quædam ex albo & purpureo aureo vel ex luteo ſuperbiant: rarius etiam inter candorem & pur-

puram

puram coloſſino colore fulgent, ut fuſius in ſequentibus docebitur. Odorem ſingularem aut gratum equidem non fundunt, ſed gramineum, nauſeabundum & ingratum, præprimis ſi fuerint contritæ aut emarcidæ factæ, ſi autem recens fuerint avulſæ & integræ, aut in faſciculos & corollas complicatæ, naribus admotæ odorem quendam ſvavem & in dulcedinem abeuntem tibi ſubminiſtrabunt. *Odor.*

§. IX.

Sed & piſtillum ſtaminibus plerumque obſitum in pulſatilla adeſſe perhibetur. Per *piſtillum* illa pars plantæ, quæ fuſi aut piſtilli h. e. ejusmodi inſtrumenti formam habet, quo in mortario aliquid tundi ſolet, quæ num. 1. fig. k. exhibetur, & a pindo ferio & aſſidue percutio derivatur, Colum. lib. 12. cap. 55. Cum autem non uniforme in plantis apparet, ſed mox rotundum, mox ſphæricum, triangulum aut quadrangulum, ovatum vel capitatum, hinc etiam diverſimode a rei herbariæ ſcriptoribus appellatum fuit. Ideo a natura plantis datum, ut aperto jam flore ſuprema ejus pars, quæ tum ſenſim craſſeſcere & intumeſcere obſervatur, quia nimirum veſicis & tubulis admodum exiguis obſita eſt, alimenti ſui partem ineptiorem excludere & evacuare poſſit. Fuit hæc pars plantæ jam & veteribus nota, ſed ſub alio nomine & titulo, ſcilicet ſub ſtyli oblongi, craſſioris atque e centro umbilici emergentis, appellatione, ut Rajus in Hiſt. itemque Malpighius in Anatome plantarum part. I. p. 44. ex eorum monumentis demonſtrant. Dicitur quoque *ſtaminibus obſitum piſtillum.* Per *ſtamina* intelliguntur capillamenta ſeu filamenta illa lutea quæ e medio floris erumpunt, ſeu quæ ab intimo floris ſinu proſiliunt & apices ſuſtinent, quos exprimit num 1. fig. f. & c. quæ enim apicibus carent, capillamenta proprie dicuntur: Apices autem ſunt craſſiores illæ & tumidæ partes, in ſtaminibus conſpicuæ, a natura excrementi excipiendi & in apices deponendi cauſa, efformati. Notanter autem & circumſpecte in definitione additur *plerumque*, quia non ſem- *Piſtillum.* *Stamina quid?*

per nec in omnibus pulsatillis stamina adesse observantur. Nostræ autem Pulsatillæ cum & pistillo subrotundo & staminibus præditæ sint, juste definitionis nostræ essentiam exhaurire dicuntur. Per *fructum* hic non intelligitur ipsum semen, utpote quod hic a fructu expresse distingvitur. Costæus lib. 1. cap. 9. p. 47. *Semen solum partem fructus esse statuit: quod in ipsomet fructu nascatur, quove ablato, fructus in vitium mutilationis expresse incidat:* Aristoteles distinctius differentiam propositurus ait: *Semen & fructus inter se differunt, prioris posteriorisque ratione: fructus enim quod ex alio est: semen ex quo aliud: nam alias ambo idem sunt.* lib. 1. de gener. Animal. c. 18. Quibus verbis non solum secundum prius & posterius certo respectu differre, sed etiam (intellige vocabulo fructus generatim sumpto) pro toto illo, quod constat pulpa, quæ semina in se ut in vasculo vel theca continet, unum idemque esse statuit. Cum autem hic speciatim de ea parte plantæ sit sermo, quæ flori immediate cohæret & succedit, in qua semen ut in conceptaculo suo tam diu asservatur, donec accedente aliqua causa movente separetur, ideo recte in definitione additur, quod semina in capitulum *in fructu* colligantur. Ubi per *capitulum in tenue capillamentum collectum*, nihil aliud indigitatur, quam id, quod in fructu in globum vel orbem lanuginosum seu papposum, ex meris plumulis comatis constantem quasi glomeratur, ut ex num. 1. fig. e. patet. *Semina* sunt exigua, longiuscula, teretia, ex albedine fusca, quorum unumquodque capillamenti sui inferiori parti adhæret, & deinde cum maturuit, vel caule concusso, vel ventorum flatu agitato, ad propagandam speciem suam elabitur & terræ committitur, ut ostenditur num 1. fig. e. & i. Quod semen Adversariorum Autores semini exiguo Asclepiadis comparandum putarunt l. sæpe cit. Saporem ejus quod attinet, notandum est, quod gustatum amaricare lingvamque cum qualicunque acredine vellicare observetur. Cur autem plantarum acrium semina, cæteris stirpium partibus acriora sint? satis docte

Capitulum & Capillamentum.

Semina.

Sapor.

docte discussit Joh. Bodinus in Univers. Nat. Theatr. lib. 3. p. 292. scilicet quia vis plantarum a semine potissimum contrahitur; & quemadmodum ignis ob id calidissimus, quod ejus causa cætera calescunt, sic quoque semen colocynthidos amarissimum est, quod ejus causa tota planta sit amara. H. J. *Caulis* non semper nec in omnibus idem observatur, sed pro soli benignitate aliam atque aliam sortitur faciem. Hinc Dodonæus cauliculos semissem altos, Joh. Bauhinus circiter palmares, Clusius palmares, Casp. Bauhinus caules pedales & majores, Breynius sesquipalmares, eosque rotundos, inanes, teretes, infuscos, albis tenerisque pilis aspersos, ostendere, testantur. Fatemur quidem, quamvis herbam unum & singularem caulem protrudere, verum plures etiam ex una radice in quotannis revirescente planta propullulare experimur. Hinc Joh. Bauhinus: Nec putamus reperiri Pulsatillam ramosam, nisi forte monstrosam. Hist. Univ. lib. 30. c. 21. p. 411. Quod ex descriptione pulsatillarum specialiori inferius tradenda magis fiet manifestum. Neque tamen caulis in pulsatilla sese offert plane nudus, ut quidam scribere ausi sunt; sed ejus fastigium circa summum, terna minora, laciniata & multis divisuris secta, capillacea & acuta ambiunt foliola. Dodonæus unico saltem folio caulem sociatum esse tradit: verum respicit ad ejus inferiorem partem, qua folium continuum, & indivisum ostendit, divisuræ namque tantum in superiore parte sunt conspicuæ, quod ex verbis Joh. Bauhini poterit esse manifestum, in quibus equidem caulem nul-" lis vel ramis vel foliis donatum esse asserit, verum unicum fo-" liolum excipit, quod paulo infra florem nascitur, denso molli-" que tomento comatum, circumcirca labri aut acetabuli in-" star caulem cingens, sibique inferiore parte continuum, quod" mox in lacinias numerosas tenuesque finditur H. J. in Hist." Univers. Ex quo satis superque manifestum est, quomodo verba Dodonæi intelligenda sint, quando caulem unico tantum foliolo sociatum esse statuit. Nec est, quod quis cum Casp. Bauhi-

Caulis.

Folium caulem cingens.

Bauhino in prodromo, quandam Pulſatillæ ſpeciem deſcribente, adhuc alia folia, præter hæc floribus pulſatillæ ſubjicere velit: Pulſatillæ enim flos cum calice careat, in quo folia, ſi adeſſent, fixa eſſe oporteret, ideo neutiquam flori ſubjecta eſſe poſſe apparet. Ut taceamus modo dicta, & in medio caule conſpicua foliola, a Rajo, pro Anemonum, ad quas & pulſatillas revocat, nota characteriſtica haberi, ut videre eſt in Hiſt. Plant. lib. 12. cap. 6. p. 635. fin. quam ſi Bauhiniana pulſatilla oſtenderet, ex Raji ſententia, nunquam pulſatillis annumerari poſſet. Reliqua e radice prodeuntia folia quod attinet, non unius ſunt conditionis, ſed quædam ſunt profunde inciſa, quædam iterum laciniata, craſſioribus diviſuris & amplioribus ſegmentis conſpicua: non pauca tenuioribus, longiuſculis, oblongis pediculis fulta, iisque mox paucis, mox copioſis: alia paſtinacæ ſylveſtris foliis æqualia, alia ad Myrrhidis ſylveſtris folia accedentia, alia Apii hortenſis foliis æmula, nonnulla denique foliis Anemones quæ eſt Bulbocaſtani radice, quam ſimillima. Quæ tamen non uno tempore in omnibus pulſatillis erumpunt, ſed quarundam florem antecedunt, quarundam ſequuntur, ita ut demum flore deciduo prodeant. Quod in pulſatillæ ſpeciebus illis, quæ dicuntur foliis Anemones ſecundæ inferius demonſtratum dabimus. Color foliorum ſuperius eſt ſaturate viridis, inferius autem dilutior, quæ tamen differentia in foliolo caulem ambiente non præciſe obſervatur, niſi ex lanuginoſa ejus facie colorem remiſſiorem ſtatuere velis. Radices pulſatillarum omnes in univerſum ſunt oblongæ & fibris quibusdam donatæ, ſed cum quadam notabili differentia, quam quoque in definitione exprimere operæ pretium fuiſſet. Quædam enim non admodum profunde radicantur, ſed in aliquos tantum ramos ſeſe diffundunt: quædam altius radices agunt, & ad pedalem longitudinem producuntur, ita ut ſæpe octo fibris, ut vult Tabernæmontanus firmentur. Quæ varietas efficit, ut quædam longioribus propaginibus ſerpant,

Folia.

Color foliorum.

Radices.

pant, & in parte superiori in multa capita dividantur. Nec desunt quæ truncatæ, laceræ & more radicum Carlinæ arrosæ appareant, crassitudine quam maxime differentes. Mox enim digiti crassitudinem exæquant, mox nondum attingunt, non raro etiam superant. Uno verbo variant radices ut ipsa herba, prout vel soli benignitate vel poli clementia fuerint in vegetatione sua comitatæ. Intus radix est albida, in quibusdam plane candida, foris vero cute nigricante, aut plane nigra obducta. De cætero quæ de sapore & virtutibus radicum dici poterant, ea, tam in speciali cujusque pulsatillæ pertractatione, quam in Sectione IIda sc. Practica fusius explicabuntur.

CAPUT III.

Locum natalem describit.

§. I.

LUstratis jam in præcedente capite iis, quæ ad definitionem pertinere videbantur, fas erit prosequi in sequentibus, quæ nos ad cognoscendum locum natalem deducere poterunt. Non enim sufficit plantarum historiam e dissitis terrarum oris a philobotanis collectam contemplari, vel a rhizotomis in nostra musea deportatas, quoad singulas partes intueri, vel inter privatos parietes e picturis & iconibus botanicorum cum Plinio consentiente, *pictura fallax sit* lib. 25. addiscere, earumque naturam examinare, & dijudicare; verum necessarium quoque est, loca in quibus prodeunt, adire, plantas videre, accuratius, & quidem iteratis vicibus inspicere & observare, earumque natale solum & adeptam utcunque per totum nascendi tempus majestatem posteritati tradere, ut earum efficacia & naturæ vis etiam ex minimis circumstantiis investigari possit. Neque hoc solum de plantis exoticis, sed etiam de inquilinis tam extra terram quam in ipso terræ gremio imo in nostra terra & climate vegetantibus intelligendum est. Solet enim plerumque

ita comparatum esse, ut quæ quotidie & quidem modo ordinario in rebus naturalibus contingunt, non facile quisquam admiretur, extra vero ejus normam & lusu quasi quodam genita omnium hominum oculos in se convertant: Sic quoque plantarum in terra vegetationem raro quis ita curat vel miratur, quam si eas extra terram, in aëre, aquis, lapidibus & saxis &c. natura quasi aberrante factas esse deprehendat. Id quod ex arbusculæ marinæ, escharæ coralloide, tubulariæ, fungorum lapideorum, spongiarum marinarum, lenticulæ palustris & similium exemplis, satis poterit esse manifestum. Interim tamen cum maximam confusionem & difficultatem Philosophiæ naturali & inprimis scientiæ Botanicæ addictis creare visæ sunt plantarum descriptiones, si inter alias differentias soli natalis, in quo crescunt, accuratior non fuerit ostensa distinctio: utpote cujus diversimoda varietate sese offerente, alias atque alias plantæ sortiri visæ sunt & vires & qualitates: ideoque cujuslibet plantæ natale solum accuratiori examini subjiciendum & exponendum esse non immerito arbitramur. Habet enim quælibet terra, peculiare quoddam a natura sibi inditum seminium vel ovum, ut curiosissimus Naturæ Indagator Marcellus Malpighius in Anatome Plantarum, & Nehemias Grew in Idea Hist. Phytolog. satis docte demonstratum dederunt, ex quo vegetationis suæ ortum inchoare, accedentibus aliis ad id requisitis causis prosequi, & tandem ad finem ultimum feliciter producere valet. Verum enim vero licet in quavis terra seminium lateat, certam quandam plantam producendi, nihilominus tamen non ex omni terra pulsatilla producitur: Nam sicuti non ex omni ligno, juxta tritum illud, fit Mercurius; ita *non omnis fert omnia tellus.* Necessarium itaque erit solum pulsatillarum natale intimius contemplari. Id quod nos eo felicius præstare posse arbitramur, quod ipsi pulsatillarum natales sæpissime observaverimus, pulsatillarum species varias inspexerimus, imitaturi Zeuxin, qui cum virginis ideam exprimere vellet, plures & quidem

dem ſæpius ipſe contemplabatur, ex unaquaque retinens, quod ſibi videbatur pulcherrimum. Plin. Hiſt. Nat. lib. 35. c. 9. Neque territi ſumus locorum diſtantia, viarum & montium tædio, ſed perreptatis perſæpe montibus, ſylvis & convallibus ſcrutatis, pinetis & ericetis perveſtigatis, hinc inde pulſatillas conquiſivimus, quomodo ſingulis ætatibus ſeſe habeant & quas mutationes patiantur, diligenter obſervavimus, non neglecta ubique ſoli natalis & loci natura & conſtitutione.

§. II.

Non unus autem locus natalis a ſcriptoribus pulſatillis asſignatur, ſed diverſus a diverſis. Dioſcorides pulſatillam ſylveſtrem ſeu ſponte naſcentem, montanam eſſe ait, eundemque quem anemonibus locum natalem tribuit. Quod Bodæus a Stapel Commentar. in Theophraſt. diſtinctius proponit, dicens: *In rupibus, locis aſperis, lapidoſis montoſisque reperitur. Et prope Emmericam ſponte locis dictis innaſcitur.* lib. 6. p. 507. *Matthiolus* Comment. in Dioſcor. locis incultis, aridis & ſaxoſis provenire, perhibet. *Tragus & Tabernæmontanus* in collibus ſiccioribus, arenoſis & argilloſis in ſylvis reperiri teſtantur. *Cluſius* in Auſtriæ & vicinarum regionum locis editioribus & vento perflatis inveniri ſcribit. *Johannes Bauhinus* albas in celſioribus Stiriæ jugis inter ſcopulos tenui & levi terra tectas, plerumque vero in ipſis ſcopulorum fiſſuris & commiſſuris, adeo alte radices agere contendit, ut ſumma difficultate & vix unquam, niſi avulſis ferreo inſtrumento ſcopulorum fragmentis, integras eruere licuerit. Supervacaneum hic putamus, omnes omnium Autorum opiniones in medium proferre, cum res eo redeat, ut omnes pulſatillam, ſicca, arenoſa & arida loca amare perhibeant & quaſi uno ore loquantur. Et præprimis ii qui in deſcribendis pulſatillis vel vulgaribus, vel folio anemones ſecundæ hactenus fuerunt occupati, ſed ad pulſatillas noſtras redeundum eſt, earumque locus natalis notandus. Qvantum per viginti annos obſervare licuit per Pruſſiam, nullibi, niſi

 in

in *ſolo* pinetis & ericetis deſtinato eoque clivoſo, montoſo & ventis perflato, hactenus pullulantem & florentem vidimus. Flora Prusſica in collibus arenoſis hinter der kleinen Schleuß jenſeit des Thammes auf dem Berge bey Lautenmühl provenire teſtatur. In Angerburgenſi diſtrictu non tantum in der Guyſchen Heyde, ſed etiam in der Ogonſchen Heyde, pineto, a pago Ogoncken, uno milliari ab urbe noſtra diſtante, ſic dicto, itemque in der Kuttiſchen Heyde, inter ericas & pinus, præprimis in cæduis, ut vera & genuina ſua ſede & loco natali, quam felicisſime floret & quam copioſisſime creſcit; ita ut mirifica ſua coloris in purpura varietate & Salomonem in ſua gloria provocare posſit; dixi *copioſisſime:* tanta enim abundantia provenit, ut plurimis plauſtris onerandis ſufficere posſit. Quo ipſo ſimul, loci per ſe jam ſatis jucundi amoenitatem ita auget & acceptam facit, ut viſitantium & inter parturientes naturæ verſicolores gazas, prodeuntia gramina, lenis auræ per pineta ſpirantis ſuſurros, alcium cervorum, & caprearum hilares ſaltus, oſcinum & inprimis luſciniarum ſvaves cantus & modulamina, ovium & agnellorum gratos balatus, verſantium hoſpitum animos, tantopere moveat, ut blanditiis ſuis & mollibus quaſi imperiis, ad diutius remanendum flectere, abeundi vero licentiam plane denegare & præſcindere videatur: ut ejus reſpectu non incongrue Ovidio ſic præeunte loqui licet: Hic

Sylva coronat aquas cingens latus omne ſuisque
Frondibus ut velo, Phœbeos ſummovet ignes,
Frigora dant rami, varios humus humida flores. Metamorph. lib. 5. fab. 6.

Utut autem locis modo dictis pleræque pulſatillarum ſpecies quotannis progerminent, reperiuntur tamen nonnullæ a Caſp. Bauhino flore minore dictæ, quæ uda & paludoſa loca amant, & ideo etiam paluſtres vocitantur. Sed quia hæ unæ & ſolæ, ab aliis quaſi degeneres, reliquis pulſatillis geminum ſolum abnegare non poſſunt, juxta illud tritum: Una hirundo non facit

ver,

ver, ideo antea demonſtrata ratione pulſatillis loca arenoſa & arida pro natali ſolo indubitato adjudicamus.

§. III.

Sed quæreret hic quis: Quoniam pulſatilla in ſolo arenoſo imo in ipſa arena creſcit, id quod inprimis in minore nutante obſervatur, qui fiat, quod arena pulſatillarum mater dicatur? cum florum & in univerſum omnium plantarum mater non arena ſed terra ſit, teſte Ariſtot. Dioſcor. & aliis, de arena autem adhuc ſub judice lis ſit, num terra dici mereatur? Sed facile huic dubio occurritur, ſi conſideretur probe, qualis hæc ſit arena in qua pulſatillæ radices ſuas figere obſervantur, num arena pura, nulla alia terra permiſta? talis enim nihil aliud eſt, quam lapillorum ſterilium coagmentatio & accumulatio, non terra: num vero quadam terreſtri materia mixta? Si prius: terra proprie dicta non eſt, & ſic nec pulſatillæ matrem nec locum natalem conſtituit, habet enim arenam ita copioſam, ut vix ac ne vix aliquid terreſtris materiæ includat, qua de cauſa etiam ad propagationem plantarum plane non eſt apta. Exemplo eſſe poterant arenæ Lybicæ in vaſtiſſimis Africæ deſertis, quæ a ſtirpibus plane deſeruntur: e contra vero, ſi arena terra argilloſa vel marga aliqua miſta ſit, tum fructuoſior fit, quam ſi ſola argilla vel marga vegetationi plantarum deſtinetur. Sicque quando pulſatillarum natale ſolum arena, vel locus arenoſus eſſe ſtatuitur, neutiquam de pura & nuda arena, ſed de arena fructuoſa, materia terrea mixta hoc aſſertum intelligendum eſt, argillæ vel margæ propinqua. Quia tamen plus arenæ quam terræ reipſa continere deprehenditur, nil obſtat, quo minus etiam in latiori ſignificatu ſimpliciter arena dicatur, non aliter, ut argentum, cum plus in eo argenti quam æris ineſſe deprehenditur, argentum, tametſi æroſum dici ſolitum eſt. Confer hac de re docte diſputantem Bodin. lib. 2. Theatr. Nat. pag. 224. Ut jam ſilentii peplo involvamus, modo dictam arenam vel terram arenoſam, ſatis validam & pingvem eſſe, ut in ea pulſatillæ

radices suas ita firmare possint, ut non facile levi aliqua accedente causa, intellige vel tempestatum injuria, vel insectorum malignitate in sua vegetatione & flore turbari vel corrumpi possint. Potius ita constanter in hoc suo arenoso solo florent, ut & tunc, cum sævissimis & asperrimis Aquilonibus omnia rigent, horrido ventorum turbine aër miscetur, imo ipsæ madidæ roris gemmæ in pruinam congelantur, rosaceum suum florem nihilominus expandere & explicare valeant: & licet quandoquidem radiis solaribus absentibus, petalis complicatis, tristem faciem ad tempus induant, mox tamen iisdem resplendescentibus quam lætissime petalis explicatis triumphant. Quod insectorum insidias spectat, hæ tanti momenti non sunt, ut eas de throno suo deturbare possint. Id quod proprio comprobamus experimento. Visitantibus enim nobis Maji initio pinetum Ogoncense, observavimus per quendam lapidem tenui fissura hiantem pulsatillam crevisse, flore suo dilute purpureo superbientem, quem formicæ tumulis, struis & cavernosis domiciliis suis operientes undiquaque perreptabant, nec tamen pulsatilla hisce remoris & obstaculis, quo minus in apricum prodiret & tandem perfecta semina proferret impediri potuit: quod in vetustis quoque lignis & inprimis truncis arena obsitis, non raro hactenus animadvertere licuit. Sicuti etiam certum araneæ genus pulsatillæ flores sæpe infestare, ejusque floribus sese implicare observatum fuit, cujus tamen virulentia ætas ejus florida nequaquam cohiberi, nedum retardari potuit: quod itidem de apibus in eis materiam ceræ sedulo colligentibus, autopsia teste, affirmare licet.

§. IV.

Nova hic oritur quæstio: Num pulsatilla, cum sit ex sylvestrium genere, transplantationem perseverantem in hortos vel alia loca admittat? Negativam amplectuntur Botanicorum qui historiam pulsatillæ contexuerunt plurimi. Ex quorum numero audiamus Joh. Bauhinum, qui pulsatillam se in hortum trans-

transtulisse testatur, verum frustraneo successu l. c. Et Bodæum a Stapel ex propria experientia fusius sic differentem: *Sylvestris tota est, difficulter curam admittit, in hortis sæpius plantavi, missaque mihi non semel fuit a Johanne ab Elten P. M. dum viveret summo rei herbariæ amatore & indagatore. Operam semper perdidi, in tertium nunquam retinere annum potui, altero tamen quandoque floruit.* l. c. Verum si hortorum catalogos inspiciamus, apparebit non esse hanc assertionem perpetuæ veritatis. In plurimis enim hortis culta invenitur. Recensetur enim a Dionysio Joncquet Medico, in Horto & Onomastico Parisiensi p. 104. a Mauric. Hoffm. in Floræ Altorffinæ deliciis hortensibus; in Pauli Hermanni Catalogo Horti Academici Lugduno-Batavi p. 511. in Indice Plantarum Horti Medici Academ. Witembergensis Joh. Heinrici Heucheri p. 19. in Ammanni supellectile Botanica Horti Medici Academiæ Lipsiensis & pluribus aliis. Ipse Dodonæus Belgas in hortis habere testis est. In specie Casp. Bauhinus in prodr. de pulsatilla minore perhibet, quod in hortum translata cum vulgari vegetior quidem fiat, colorem autem & formam reservet. Tabernæmontanus quoque expresse, pulsatillam suam secundam, tertiam & quartam in hortis coli posse adstruit lib. 1. Neuvollkommen Kräuterbuch cap. 18. p. m. 80. Interim tamen quod difficulter fiat non negamus; id quod propria experientia comprobamus. Erutas enim cum suo cespite pulsatillas, sæpe in viridarium nostrum transtulimus, non solum tum, cum florem jam ostenderent explicatum, verum & tum cum vere ineunte vix e terra prodirent, & quidem tam vulgares flore majore purpureo-cœrulascente, quam rariores flore lacteo & incarnato, quas a solaribus radiis umbraculo debite præmunitas, humore decenti imprægnandas tam diu curavimus, donec vegetatione sua radices egisse ad oculum demonstrarent. Ubi quidem flos jam explicatus brevi emarcidus factus, ipsa autem herba cum radicibus inviolata permansit. Vernali tempore redeunte, iterum e terra prodire

dire, verum non tanta floris magnitudine & lætitia, quam alias in loco suo natali, sed imperfectior visa est, imo ita manca, ut neque tertiam in quantitate floris genuini partem attingere videretur. Secundo autem a transplantatione anno, vix uno vel altero flore minuto, fere ἀκαύλῳ, ostenso, plane emortua est, ita ut tertio anno ne vestigium quidem transplantatæ plantæ vel radicis, amplius appareret. Si rationem quæris; eam hanc esse scias: diversitate terræ, incrementum seminis sati quam herbæ transplantatæ varie impediri. Patet enim ex ante dictis, pulsatillam requirere solum arenosum & siccum, in hortis vero pingvius & humidius habetur, quod plerumque industria possessoris & inprimis repetita stercoratione, si fuerit vitiosum, procuratur. Quale itaque nutrimentum herbæ suppeditatur, tale quoque incrementum sequi necesse est, & si non fuerit proportionatum, eam sterilescere & plane interire facit; quod quoque non parum promovere videtur humor in hortis irrigatione frequenti affusus, qui plantas molles & debiles efficere solet: ut taceam artem ipsam variis modis naturam violare, effœminare & retardare, quod ex radicibus, effossione vel detectis vel avulsis vel subcisis & dissectis non poterit non esse manifestum. Nec minori damno pulsatillæ in vasa fictilia plantatæ spem omnem eluserunt: factum enim ut cum quædam vasa pulsatillis referta in cellis vel hypocaustis, ab injuria hyemali reconderentur, ineunte autem vere tepidiori aëri fuissent exposita, subito luxuriare cœperunt, & non florem, qui alias folia in nostrate antecedere solet, sed ordine inverso folia & quidem viriditate dilutiore præter solitum copiosius protrudere cœperunt, quæ mox vegetatione hac subitanea ad finem perducta cum radicibus interiere. Quod autem ex semine in hortis procurari possit, non est quod quis ambigat: nam licet juxta sententiam Clusii non facile cicurari possit, nos hoc in passu nunquam oleam & operam perdidisse, sed felici successu licet

non

non ſine cura ex ſemine propagaſſe ultro fateri tenemur. Quomodo autem herba noſtra in ſuo natali ſolo alimentetur, creſcat & conſervetur, hoc iis penitius inquirendum relinquimus, qui ad naturæ myſteria altius perſcrutanda nati ſunt. Videſis Raji Hiſtoriam Tom. I. Lib. I. cap. 16. pag. 31. Marcell. Malpighium Bononienſem in Anatome Plantarum. Nehemiam Grew. loc. cit. Joh. Bapt. Port. in Phytognomia & alios.

CAPUT IV.

Tempus, in quo floret, oſtendit.

§. I.

JOhann. Baptiſt. Porta in Phytogn. lib. 6. cap. 24. tempora in quibus plantæ naſcuntur quam ſolertiſſime obſervare jubet, & exinde ſolertibus arcanorum exploratoribus non negligendum inveſtigandorum morborum fundamentum ſeu plane tollendorum remedium, ſperari poſſe autumat. Et ſicuti hyemales plantas hyemalibus, æſtivas æſtivis, ita vernali tempore naſcentes, eo tempore graſſantibus morbis mederi & occurrere poſſe, opinatur. Cui ipſe Plinius admirationis plenus aſſentiri videtur, oſtendens: naturam locupleti divinitate ad gerenda præſidia morbis animalium convenientia in tempora diſpoſuiſſe, ut aliis diebus prodeſſe, aliis vero horis ſine præſidio eſſe reperiatur. Verum cum jam hodienum notitia de conſervandis & in auxilium tempore opportuno vocandis plantarum viribus, quotidiana experientia ita innotuit & arte ſpagirica confirmata ſit, ut non opus habeamus a temporis ratione ad certa morborum remedia argumentari, hinc jure meritoque ab opinione horum abſtinere poſſumus, tempus ſolummodo pulſatillæ, quo florere ſolet, methodi ordine ſic jubente inquirentes. Quemadmodum autem quælibet planta ſuum ſibi a natura e terra egrediendi & effloreſcendi tempus habet, ita etiam pulſatilla hocce privilegio gaudet. Quod Botanographorum non-

nulli probe obſervantes, ordinem in recenſendis plantarum catalogis, vel reſpectu habito ad menſes, vel ad quatuor anni tempora introduxerunt, & ita in hyemales, vernales, æſtivas & autumnales diviſerunt. Quod exemplo Theophili Kentmanni Medici Giſſæni, Mauritii Hoffmanni & ſim. Pauli in Qvadripart. Botan. factum fuiſſe videmus: Qua diviſione inſtituta noſtram quoque pulſatillam vernalibus annumerarunt. Nec ſine ratione, veris enim tota nuntia eſt: teſtantur hoc rei herbariæ ſcriptores unanimi conſenſu, licet in menſibus referendis aliquantum inter ſeſe differant, quam tamen differentiam vel cœli, vel aëris, vel denique regionis, aut anni temperaturæ adſcribendam eſſe cenſemus. Sed audiamus hac de re teſtantes ipſos Autores. Joh. Bauh. de vulgari ſcribens, eam e primis floribus eſſe ſcribit, & ſolutis nivibus menſe Martio prodire. Luteam vero & albam minorem demum ſub finem Junii, item Julio & Auguſto menſibus pro æſtatis maturius aut ſerius incipientis natura ſe ſiſtere. Confirmat hoc Cluſius inquiens: quod ea quæ craſſiore eſt folio, ampliore & dilutiore flore præcocior, altera vero folio tenuius inciſo floreque minore non adeo præcox ſit. Tragus ei Martium adſcribit. Bodæus a Stapel Aprili florere ait lib. 6. p. 507. Breynius de ea quæ Polyanthos dicitur ſcripturus primo vere, alteram vero quæ caule eſt nudo demum initio Maji in flore ſuo apparere obſervat. Quibus etiam annumeranda venit pulſatilla Apii folio vernalis, flore minore, quæ Aprili floret, alia vero Apii folio autumnalis florem ſuum usque ad Septembrem protrahit. Pruſſos ſcriptores quod attinet, inter illos primum Joh. Wigandum Epiſcopum Pomezanienſem in ſuo Catalogo herbarum in Boruſſia naſcentium pag. 73. inter primos flores veris erumpentem, affirmaſſe legimus, alterum vero Johannem Lœſelium ejusque Floræ Reſtauratorem Johann. Gottſcheid Aprili & Majo florem ſuum oculis noſtris exponere certificamur. Veritatem hujus aſſerti non eſt quod in dubium quis vocare audeat, experientia enim

com-

comprobatum eſt, quotannis in noſtro diſtrictu non alio quam vernali tempore erumpere, & ſylvas, colles, montes & ericeta amœnitate ſua exornare.

§. II.

Durationem floris quod attinet, ſolet flos explicatus in caule ſuo plerumque octiduum durare, niſi vel nimia pluvia corrumpatur, vel ſolis intenſo calore enervetur: quo tamen deciduo plures ſucceſſive ex eadem radice mox effloreſcunt, præter eam pulſatillæ ſpeciem quæ polyanthos dicitur, in hac enim omnes flores fere uno tempore aperiuntur, uno quoque deinde tempore defluunt. Cæterum ſæpe circa feſtum Pentecoſtes florere, & cum reliquis plantis vernalibus de pulchritudine & tum adhuc certare deprehenduntur. Pulſatilla autem minor flore nutante, uti ipſa ſerius egreditur & floret, ita etiam diutius durat, & Junii fine imo Julii initio in flore obſervatur. Siccos flores ultra annum aſſervari non poſſe noſtri pharmacopæi teſtantur, ideo viribus enervatos quovis anno abjiciunt e thecis ſuis, & noviter & recenter exſiccatis reſarciunt. Ut autem & hanc annuam durationem rite promoveant, & corruptioni ſubitaneæ præcaveant, non in aprico ſed in umbra exſiccant. Licet autem ad uſus medicos aſſervatæ & ſiccæ brevi viribus langveſcant, nihilominus tamen ætas totius herbæ non eſt annua, ſed longioris ævi ejus eſt duratio. Antequam radix juſtam craſſitiem acquirat, trium annorum ad id requirit ſpatium, quæ licet deinde ſenſim erodatur & putreſcat, nova aggeneratione annua ejus damna reparantur, ut ſic hac ratione inter perennes & reſtibiles jure meritoque numerari poſſit. Semina quoque per maturitatem ad perfectionem perducta, cum vento fuerint diſſipata ſequenti anno e terra hinc inde erumpere, atque ſic ſpeciem ſuam propagare & conſervare obſervantur; in caulem vero ſecundo, aut etiam aliquando tertio a ſatione anno abeunt.

§. III.

Colligere & decerpere tum decet pulsatillas, quando in flore triumphant. Causam hujus hoc tempore suscipiendi laboris haud multis exponendam verbis putamus, cum quilibet facile præsupponere queat facultates & vires ejus tum maxime in vigore constitutas & exaltatas esse. Hoc enim est *tempestive eas carpere*, ut Dioscorides loqui amat inquiens: *Estque illud ante omnia curandum, ut tempestive carpantur omnia. Ex hac siquidem observatione efficacia sunt, aut evanescunt medicamenta omnia. Serena tempestate carpsisse oportet, refertque magnopere a siccitate aut imbribus id fecisse, quemadmodum montanis, ventosis, frigidis nec uliginosis locis ea legisse: efficaciores siquidem omnium, his locis vires erunt, in præfat.* lib. I. p. m. 2. Quibus verbis satis clare verum & genuinum processum ostendit, quem in reliquis plantis & sic quoque in colligendis pulsatillis observare tenemur. Non equidem nos fugiunt sententiæ eorum qui Astrologorum principiis innixi, in colligendis plantis ad planetarum influxus & aspectus attendunt, inprimis autem incrementa & decrementa lunæ anxie observant, existimantes peculiares virtutes & naturam ex iis derivari, magnamque dignitatem & excellentiam iis accedere; quibus tamen incertis & fallacibus observationibus suis, credulis facile imponunt & fucum faciunt. In quam sententiam ivisse videmus & Theophrastum Paracelf. Tom. 7. Paradox. lib. I. & 2do item tr. I. Philos. p. 309. ejus verba ex recensione Schröderiana sunt: *Non semper bonum est, argillam ac lutum fodere, lignum cædere, multo minus herbas colligere, fructus decerpere, radices eradicare, balsamos ac gummata detrahere: cuncta hæc peragi fas est, tempore balsamico, certis mensibus, certo aspectu lunæ ac aliorum signorum, certaque diei hora.* Quousque autem hæc sententia valeat, viderint alii. Rajus has ad configurationes syderum institutas plantarum collectiones ut vanas & superstitiosas damnavit, ostendens tum colligendas esse, cum in statu & vigore suo sunt con-

constitutæ, cum succo jam miti & probe concocto turgent, & antequam indurescentibus fibris lignescere incipiunt. Tom. I. lib. 1. c. 28. p. 53. 54. Ex cujus consilio, si flores pulsatillæ colligere velis, præcise attendendum erit illud tempus, quo flos explicatus & apertus apparet: quod expresse Jbn-Sina requirit: *Flores colligere oportet, post apertionem integram, ante extenuationem & casum*, ut videre est Canon. lib. 2. tract. 1. cap. 6. Idque necessarium est, ut fiat die sereno. Helmontius tractatu de formar. ortu 69. 59. jubet ante exortum solis colligere, & addit rationem, quod scilicet plantæ per noctem uberius nutriantur, & succo efficaciori imprægnentur, imo antequam sol oriatur optime turgescant. Quam suam sententiam sumpsisse videtur ex Theophr. Parac. qui loco modo citato ait: Etenim quemad-" modum homo interdiu laborat, laborandoque lassatur, debili-" taturque, noctu autem post labores absolutos quieti somno-" que inhiat: ita quoque omnia, radices scilicet & herbæ &c. quia" cuncta huminascentia operantur cum sole, quiescunt cum lu-" na. Porro sicut homo post sufficientem somnum, sanus, fortis" vigorosusque exsurgit: ita & fructus universi post noctem me-" diam (non ante nec interdiu) Exemplum præbent fructus ar-" borum: Poma si decerpantur tempore balsamico, durabilio-" ra ac minus corruptibilia sunt, secus ac alias: imo singuli fru-" ctus decerpti post mediam noctem vel saltem ante solis ortum," maxime durabiles existunt." Nonnulli tempus vespertinum & quidem post solis occasum plantis legendis destinare satagunt. Gvil. Laurembergius in sua Botanotheca Qvadripartit. Botan. Pauli annexa, tempus pomeridianum commendat; tunc enim inquit ros, quo matutino tempore madescere & perfusæ esse solent herbæ, solis vi & calore absorptus est, & herbæ sicciores redditæ sunt. Mador & humiditas plantis exsiccandis pestis est truculentissima, quippe quæ illis putredinem conciliat, nigrorem aspergit, & marcorem inducit, p. 638. Nos cum sæpe citato ingeniosissimo Rajo sicuti reliquis plantis colligendis

tempus matutinum assignandum esse putamus, ita quoque pulsatillæ ut maxime conveniens statuimus: Die scilicet sereno, quando jam sol exortus radiis suis herbas rore matutino madentes penitus exsiccavit. Assentientem nobis habemus Curiosissimum Samuelem Ledelium Phil. & Med. D. Physicum Ducatus Görlicensis Provincialem, meritissimum, qui in suo Tractatu de *Centaureo minore* conscripto cap. 4. p. 71. sic in hanc rem fatur: *Optimum tempus est matutinum, quando lucescit, tunc demum ubi solis radii absorbuerunt humiditatem nocturnam plantis insidentem.* Nec metuendum putat, solares radios nocere posse, *virtus enim*, inquit, *non residet in superficie, sed est interne, præterea solares radii circa auroram non adeo feriunt.* h. i. Licet jam Ledelius de suo Centaureo loquatur, non tamen videmus quicquam obstare, quo minus de nostra quoque pulsatilla idem affirmare nobis liceret. *Semina pulsatillæ* si quis vel ad seminandum & propagandum vel ad medicamenti vires expiscendas, colligere velit, tempus, cum probe maturuerint, siccarique cœperint, nec tamen exciderint, attendere tenetur, quod consilium de omnibus in universum vegetabilium seminibus Schröderus subministrat, ut videre est in Pharmac. l. c. p. 54. quod nos quoque ut satis conveniens amplectimur. *Folia* si quis desiderat, ea tum decerpat, quando qualitates ad durationem facientes in eis conspiciuntur, scilicet quando color, sapor, odor, summum gradum assecuti sunt: tunc enim nec corruptioni subitaneæ, si asservanda sunt, tam cito erant obnoxia, nec facultates & virtutes suas, si in usum aliquem fuerint vocata, denegabunt. *Radices* plantarum quo tempore effodiendæ non certo sibi constant Autores: alii autumno, nonnulli æstate, reliqui denique vernali tempore eruendas esse judicant. Quorum opiniones cum jam satis erudite Rajus & Schrœderus examinaverint, studio omittimus. Inprimis cum res eo redeat, ut radicum natura probe examinari debeat, num scilicet probe maturuerint? Ex quo tempus colligendi conveniens probe metien-

endum. Quibus præsuppositis & nos de pulsatilla nostra censemus, quod radices ejus neutiquam primo vere effodiendæ, quoniam statim simulac terra frigore hyberno liberatur & solvitur, germinare & caules emittere incipiunt, sicque succo & humore suo præcipuo privantur; sed demum tempore autumnali, nam cum primis duobus mensibus vegetatio totius plantæ absolvitur, reliqui æstivi & autumnales menses sat temporis suppeditare valent, quo pulsatillæ radix in germinatione effusas & prostratas vires reassumere & ad primum vigorem redire possit: id quod asserere non veremur, quia ipsi observavimus radices tempore autumnali majori acredine, quam vernali præditas fuisse. Interea relinquimus cuilibet hoc in passu suam sententiam, grato animo informationem, ab experientia magis edoctis accepturi. Quæ hic de signaturis nostræ herbæ in medium proferri poterant, ea omnia utpote infirmo suffulta fundamento (salvis tamen aliorum placitis) brevitate omittimus, & curiosum Lectorem ad Theophrast. Paracelf. Joh. Baptist. Portæ Phytogn. Schrœderi Pharmac. Dodonæi stirpium Historiam, Osvaldi Crollii Tractatum de signaturis & alios plures remittimus, indubitato sperantes, nos his aliquantum quidem prolixe, non inutiliter tamen pertractatis, satis perspicue naturam pulsatillæ explicavisse.

CAPUT V.

Genus in Species distingvit.

§. I.

OCupati in præcedentibus fuimus circa ea, ex quibus pulsatillæ generaliter cognosci poterant: nunc autem, cum plurimas pulsatilla species res ipsa existere loquitur, ut & de speciebus distinctius agamus ordo postulat. Incubuisse quidem viros exacta doctrina præditos contexendæ historiæ pulsatillarum hucusque quam solertissime, non est quod dubitemus,

suf-

ſufficienter enim hocce ipſorum ſcripta teſtantur: verum cum partim non integram & exactam, ſed imperfectam & mancam conſcripſerint, & quod palmarium eſt, nonnullas in noſtro climate quotannis prodeuntes intactas reliquerint, imo plane non viderint, partim icones notis tam incertis contaminarint, ut potius aliud quodvis quam plantam illam repræſentare viſæ ſint: Ut taceamus jam opiniones eorum, de hac vel illa pulſatillæ ſpecie, ſæpe tam varias, diſcordes ſibique mutuo contrarias reperiri, tantasque confuſiones creare, ut quicquid voluerint, vix divinari poſſit; Quibus ſingularis cujusque plantæ hiſtoriam ita diſtraxerunt, ut ſi quis aliquid certi ſtatuere velit, membratim ſinguli colligere teneatur. Quod nos probe perpendentes non incongrue facturos arbitrati ſumus, ſi tam eas, quas ex antiquis dudum habuimus, & ex neotericorum ſcriptis recenſitas noviter accepimus, quam has, quas ſedula excurſione, ſtudio pervigili, & obſervatione indefeſſa ipſi examinavimus, in hortos tranſplantavimus & ſeruimus, hic in unum corpus colligeremus, & ne oblivione obliterata intereant, ſed omnibus innoteſcant, hic repræſentaremus, viviſque quaſi coloribus delinearemus. Fatemur quidem nos deſcriptiones accuratiores Autorum hic retinuiſſe, verum non ſufficientes deprehenſas ſuppleviſſe, quantum poſſibile, obſcuriora brevibus, perſpicuis & clarioribus verbis ita delineaſſe, ut omnibus cognoſcibiles redderentur. Antequam autem ipſas ſpecies ſuo ordine recenſeamus, ex quibus proprie dignoſcendæ ſint, oſtendendum erit. Dijudicavimus hactenus genus pulſatillæ ex nota, ſtructura & charactere ei apprime convenienti, jam ſpecies ejus ex ſigno quodam ſingulari, quo inter ſeſe pulſatillæ ita differunt, ut nulli alteri ejusdem generis conveniant, conſtituere allaborabimus. Scilicet tam ex partibus ejus omnibus & ſingulis, ut radice, caule, ramis, foliis, quam ex partium accidentibus, colore, odore, magnitudine, ſitu & ſimilibus, quæ quidem ad generis naturam neutiquam requiruntur, ut egregie diſſerit Tournef. in Inſt. R. Herb.

Herb. p. 63. nihilominus tamen ſub uno eodemque genere continentur: ubi tamen notandum, quod hic ad ſolum floris colorem, germinationem aut ejus multiplicationem recurrendum non ſit, cum hæc non ſpecies, ſed tantum varietates, quæ vel ſoli vel cœli differentiis adſcribendæ ſunt, conſtituant, ſeminio autem propagari non poſſint: ideoque ad ſolam diſtinctam propagationem ex ſemine reſpiciendum erit, a qua tamen reliquæ differentiæ & inprimis certi magnitudinis termini in unaquaque ſpecie, quos neque excedere neque ab iis deficere poſſunt individua, excludi poterunt: ita ut hoc firmum & immotum maneat fundamentum, eas differentias, quæ ex ejusdem ſeu in individuo, ſeu ſpecie plantæ oriuntur, accidentales dici non ſpecificas: quæ vero ex eodem ſpecie ſemine nunquam proveniunt, eas demum ſpecificas cenſendas eſſe: aut ſi inter duas aliquas comparatio inſtituatur; quæ plantæ ex alterius ſemine non proveniunt, nec unquam ſemine ſatæ transmutantur in ſe invicem, eæ demum ſpecie diſtinctæ ſunt, ut doctiſſime diſſerit Rajus Hiſt. T. I. p. 40. Ex quibus patet tot ſtatuendas eſſe pulſatillæ ſpecies, quot plantæ roſaceo flore, polypetalo, quarum piſtillum ſtaminibus plerumque obſitum, deinde abit in fructum, in quo ſemina in capitulum collecta, in tenue capillamentum deſinunt &c. &c. differentiæ tam partium quam accidentium hactenus obſervatæ ſunt, & contra reliquas omnes nota characteriſtica generica reſpectu floris & fructus deſtitutas, licet notis quibusdam differentias ſpecificas conſtituentibus conveniant, a pulſatillis penitus excludendas & eliminandas eſſe.

§. II.

Ex earum cenſu prima ſeſe offert Pulſatilla folio Anemones ſecundæ ſeu ſubrotundo C. B. in prodr. 5. p. 94. & in Pin. 7. quam utpote Pruſſiæ inquilinam cum ſingulis ſpeciebus & varietatibus hactenus cognitis accuratiori peni-

cillo adumbrandam censuimus. Ex quibus primitus contemplationem ingreditur ea quæ florem subcœruleum ostendit: non solum ideo quod nostra ericeta & colles arenosi tempore vernali ea quam maxime repleta appareant, sed etiam quod C. Bauh. Et cum eo nonnulli neotericorum, ut Tournefortius, Rajus & alii in describenda pulsatilla fol. Anemones secundæ, circa hanc solam, quæ subcœruleum monstrat florem, videntur esse occupati. Miserat hanc primum D. Francus Bauhino ex Lusatia nomine Pulsatillæ latifoliæ, quam ut antea non visam sequenti ratione delineavit: „scilicet, quod radix ejus sit „crassa, nigra, quæ aliquot propagines quandoque fundit: ex „quibus prodeunt folia, pediculis oblongis hirsutis donata, in„star Anemones bulbocastani radice subrotunda, inferne & „per marginem levi lanugine candicantia, semper in lacinias „tres latas, & hæ in alias bifidas, vel trifidas, minus profundas „secta: inter quæ caulis emergit pedalis, subhirsutus, infra „medium angustis oblongis foliis (qualia & flori subjiciuntur) „cinctus, florem subcœruleum, septem foliis donatum, & reli„quorum more in pappum abeuntem, sustinens: quam descriptionem quoque Rajus verbotenus recitavit, ut videre est in Histor. l. c. Verum si hanc descriptionem accuratius consideraverimus, non omnibus numeris absolutam, sed multis capitibus mutilam & mancam esse αὐτοψίᾳ & observatione solerti edocti deprehendemus. Scilicet primitus ideo, quod folia cum laciniis & divisuris suis ante florem e radice protrudi dicantur, inter quæ demum caulis pedalis subhirsutus florem sustinens emergat: quod tamen naturæ ordini in hac pulsatillæ specie hactenus observato e diametro contrariatur, utpote quo mediante primo statim vere ante quamcunque foliorum expansionem incanum floris involucrum e terra erigit, quod caule magis magisque assurgente vires assumit & tandem in florem perfectum explicatur, quo demum deciduo, vel ad minimum ad marcorem inclinante folia e radice prodeunt. Deinde nodus in

descri-

descriptione in eo apparet, quod caulis infra medium angustis oblongis foliis cinctus dicatur, quales tamen & flori subjectos esse statuit: miratus hoc jam est &Rajus l. c. inprimis cum genuinus flos pulsatillæ caule careat, nec ulla ei subjiciantur folia. Verum facile excusari posse autumamus Bauhinum, si consideraverimus eum forsan specimina non uniusmodi ab amico accepisse, alia caule&flore ad debitam magnitudinem&perfectionem perducta, quorum folia seu potius coronulæ circa medium caulis apparebant, alia vero vix e terra sublata, quorum coronulæ adhuc floribus quam proxime adhærebant & immediate flori subjectæ erant: ex quo factum ut in distinctis speciminibus observatione facta, utrique suum debitum in descriptione exsolutum fuerit; quod tamen patrocinium reipsa evanidum redditur, si utraque folia & quæ infra medium caulis, & iterum quæ flori subjecta esse solent, non in diversis exemplaribus, sed in uno aliquo individuo simul conspecta fuissent, quod tamen cum naturæ pulsatillarum simpliciter adversetur, nec cogitandum quidem erit. Cui accedit, quod Bauhino, ut facile conjicitur, exsiccata specimina missa fuerint, ex quibus de totius plantæ vegetatione ejusmodi perfectum judicium nullatenus ferri potuit, quam si eam in solo natali vegetantem oculis suis conspexisset manibusque propriis contrectasset. Ultimum denique in descriptione quod ordinariæ floris structuræ adversatur, est, pulsatillam florem septem foliis donatum habere: fatemur quidem sæpe septem petala, quandoque etiam octo & novem in flore apparere, ut ex num. 1. fig. a & b poterit esse manifestum, nonnunquam etiam plura, rarius pauciora exhiberi, verum accidentaliter & quodammodo monstrose hoc fieri non incongrue monuit Rajus: naturaliter enim flore hexapetalo prædita est, quem petalorum numerum non nisi accedente alia causa extrinseca, minuere vel augere solet. Iconem hujus pulsatillæ specialiter addere operæ pretium non duximus, cum jam ad vivum delineata non solum quoad florem num. 1. lit. a. quo-

ad

ad folia & florem num. 2. & 3. sed etiam num. 5. & 7. reperiatur, ubi ex aliis speciebus & varietatibus sat luculenter cognosci poterit.

§. III.

Non uniusmodi autem pulsatillæ folio Anemones secundæ apparent, sed plurimæ ejus in districtu Angerburgensi sese offerunt varietates. Quas inter Pulsatilla Polyanthos violacea, Anemones folio, occurrit; hanc primus observavit Clarissimus D. Jacob. Breynius rerum Botanicarum sui ævi facile princeps, ejusque cum icone accuratam descriptionem in Exot. Plant. Cent. c. 61. p. 132. dedit, in qua cum nihil desiderari posse videretur, ex ejus opere mutuatam, huic tractatui inseruimus, quanquam in ectypo nostro tantam solertiam in defectu exquisiti celatoris, non fuisse adhibitam, quam in prototypo Breyniano, ultro fateri cogimur, ejus verba sic sonant:
"Radice nititur nigra, crassa, non admodum profunda, inferi-
"us in plures tenues ramos & fibras, superius in multa capita
"diffusa. Quæ novo vere statim post solutas nives, imo non-
"nunquam sub illis, caules multos sesqui palmares & dodran-
"tales, rotundos, inanes, albis tenerisque pilis plane hirsutos
"emittit: horum quivis paululum ultra medietatem coronula
"in lacinias plurimas dissecta, extrinsecus perquam villosa, in-
"trinsecus glabra, & venulis striata, cingitur; in extremitate
"florem pulsatillæ vulgaris quidem forma & hirsutie æmulum,
"sed longe ampliorem, e foliis sex latis cœruleis & violaceis
"compositum, gerens spectabilem, odoris dulcis; cujus medi-
"um globus, ex densis capitula lutea gestantibus constipatus
"staminulis, occupat; hujus e centro capillamenta rursus den-
"sa & mollia, in cuspide, vel penicilli in morem conjuncta pro-
"rumpunt, sensim decedente flore altius sese ac latius, in globo
"villosa cæsarie comoso & incanescente expandentia; ac in cu-
"jusque infima cæsariei parte, semen exiguum longiusculum

parvo


Vum z ad pag: 52.
Pulsatilla Polyanthos
Anemones folio:




Pulsatilla Polyantos
Anemon: folio cum
foliis et fructibus
Num: 3
ad pag

parvo in pericarpio villoſo complectentia. Folia, præterlapſo" floris tempore, primum ſe conſpicienda offerunt. Anemo-" nes hortenſis latifoliæ ſimplici flore tertiæ Cluſii, latioribus" foliis proxima, longis pediculis hirſutis ſuffulta, in lacinias" tres primarias ad pediculum uſque diviſa, & hæ in alias bifidas" vel trifidas minus profundas, quarum unaquæque iterum in" anteriore parte diſſecta: hæc folia juſtam conſecuta perfecti-" onem, venoſa, dura, rigida, & præcipue ſubtus ac per margines" ſunt hirſuta. h. i." In hac deſcriptione notandum quod floribus præter cœruleum colorem & violaceum Clariſſ. Autor ei tribuat, idque ſat convenienter, cum non ſolum in hac multicauli vel multiflora obſervetur, ſed etiam in aliis quæ ſunt μονόκλωνοι ita obſoletus appareat, ut purpura ſua violacea ſæpe ad nigredinem vergere videatur, quanquam non raro adeo dilutum colorem exhibeat ut ad cyaneum declinet; ſicuti hoc in ſequentibus ſpecialius annotabitur. Folia ejus ſub num. 3. ad Breynianum exemplar æri inciſa, Anemones hortenſis latifoliæ ſimplici flore Cluſii tertiæ ſimilia in deſcriptione dicuntur: quod de Cluſii Hiſtor. rar. Plant. intelligendum eſt, ut patet ex lib. 2. c. 57. p. 249. alias in Hiſtor. rar. ſtirpium per Hiſpanias a Cluſio obſervatarum ſecundæ anemones æqualia ſunt, p. 309. in 8. Pluralitatem caulium ad novenarium numerum Breynium extendiſſe videmus, quod ob defectum & anguſtiam ſpatii factum fuiſſe ex eo conjicimus, quod nos perſæpe ad vigeſimum ſextum eundem productum fuiſſe obſervavimus: ob quam luxuriantis naturæ benignitatem, non ſtatim novam ſpeciem conſtituendam eſſe putamus, in quam quoque ſententiam ipſe Autor inclinaſſe videtur, ut ex loco cit. patet. Rajus in opere ſuo meminit, quod D. Hanſius Sloane ſibi Pulſatillæ cujusdam a Petro Magnol Monſpelienſi, Med. D. & Botanico inſigni, Catalogo Plantarum circa Monſpelium naſcentium Lugduni 1676. edito, quam maxime claro, non procul a Monſpelio inventæ, exſiccatum ſpecimen, cum caule & flore oblatum, oſtenderit,

 quod

quod pulſatillam polyanthen Breynii eſſe conjectabatur: radix erat pulſatillæ vulgari ſimilis: florendi tempore & foliis poſt natis quoque cum ea conveniebat. Caulis apparebat elatior, valde hirſutus, coronula foliorum varie diſſectorum lanugine alba longa pubeſcentium cinctus h. i. l. cit. Quam ſe quoque in horto D. Magnol cum D. Sloane Anglo Monſpelii vidiſſe Emanuel König in Regn. Veget. altera parte p. 91. teſtatur, eamque expreſſe Pulſatillam Breynii Polyanthen violaceam eſſe aſſerit, & ex foliis ad Anemones pertinere concludit; quam bene autem jam ex antecedentibus patet. Quemadmodum autem hæc pulſatilla novam ſpeciem non exhibet, ita multo minus Pulſatilla flore obſoleto caule nudo, quam num. 4. ex centuria Breynii c. 62. p. 135. depromptam cum figura & deſcriptione exhibemus: utpote quam vivis quaſi coloribus delineatam deprehendimus; ſic enim ejus verba ſonant: "Radice ac "foliis, pulſatillæ vulgari flore obſoleto perſimilis; præter cau- "les, qui nudi plane nec ulla redimiti coronula, cujus ſummo "contra flos multo major, magisque patulus, e coloſſino obſo- "letus, foliis octo conſtructus, ac innumeris crocos flavos ge- "rentibus ſtaminulis præditus, glorioſe inſidebat; huic plu- "moſa congeries cum ſemine, a præcedente nihil diverſa, tan- "dem ſuccedebat. Hoc pulſatillæ genus rariſſimum, quale "nec ante nec poſt vidi, Anno 1660. cum Patriam dulciſſimam "maximo belli incendio Mars furibundus diſtringeret, a rhizo- "tonia muliercula ex Caſſubiæ montibus mihi initio Maji alla- "tum. Rajus ſuſpicatur hanc plantam monſtroſam fuiſſe & individualem, a congenerum norma abludentem; maxime quod nullam habuerit in medio caule foliorum coronulam, qualis in omnibus hujus generis plantis, hucusque viſis ſemper adeſſe obſervata fuit; & putat num non potius ad caryophillatas referri debeat. Joh. Philip. Breynius in epiſtola quadam ad me exarata ejusdem fere eſt ſententiæ, ſcribens: In hac pulſatilla producenda natura ſui videtur oblita, dum coronulam pedicu-


Pulsatilla flore
obsoleto, caule
nudo :





Pulsatilla Anemones folio flore candido

Pulsatilla Anemones flore intus albo ex[...] parte Coeruleo

culum ambientem, quæ pulſatillæ alias conſtantem characterem conſtituit, omiſit. Et ut meam de hac ſpecie animi ſententiam libere exponam, eam pro monſtro habeo, in quo quod coronulæ impendi debuit, flori forte acceſſit, qui ex pluribus ſolito petalis quoque compoſitus, quamvis hoc alias in pulſatillis rarum non ſit, præſente tamen coronula. h. i. Quod judicium eo certius ferre potuit, cum ſpecimen exſiccatum inter collectanea ſua Botanica ad hanc uſque diem incorruptum ſervatum eo accuratius inſpicere licuerit.

§. IV.

Jam ad alias Pulſatillæ ſpecies quæ in noſtro diſtrictu reperiuntur, progredimur, & quidem ad Pulſatillam albam folio Anemones: hæc externa florum & foliorum facie, ab ea quæ cœruleo eſt flore, non differt, præterquam colore; obſervavit eam jam Joh. Wigandus Epiſcopus Pomeſanienſis in Pruſſia *flore lacteo*, quem inter primos veris flores erumpere aſſeruit, folia autem demum poſt florem prodire teſtatus eſt, in tract. de Herb. Boruſſ. p. 73. Breynius in Polonia CANDIDISSIMIS occurrere FLORIBUS non ſolum ex teſtimonio Celſiſſimi Principis ac Domini, Domini Mich. Radziwilii, eam ſibi ex peculiari gratia detectam fuiſſe aſſerit, ſed etiam ex Petri Breynii fratris relatione eam in Maſovia inter Warſoviam & Thorunium reperiri contendit. In noſtro diſtrictu in der Ogonſchen Heyde inter pinus licet rarius quotannis tamen in flore ſuperbit, tanta pulchritudine, ut inter tot millia ſpeciminum cœrulaſcentis & nigricantis pulſatillæ, candore ſuo emineat ut ſtella primæ magnitudinis inter reliquas ſtellas micare ſolet. De cætero piſtillum ſtaminibus croceis obſitum oſtendit: petala in flore ordinarie ſex rarius ſeptem producit, quemadmodum in tabula num. 5. ejusmodi hexapetalum ſpecimen, quod tum temporis ad manus noſtras pervenerat, ſculpi curavimus, foliis & capitulo ſeminali modo recenſitis pulſatillis omni ex parte aſſimilandum. Inter hortos quoque tranſplantari patitur: verum

rum ultra tertium, nisi terra, recenter e natali solo allata, quotannis accumuletur, a gramine probe liberetur, & umbraculis a solis æstu defendatur, durare non solet. Sationem per semina collecta tentavimus, nec frustra, prima enim æstate circa festum Johannis folia prodire observabantur, quæ magis magisque aucta, usque ad festivitatem S. Bartholomæi in vigore permansere, postea salva tamen manente radice interiere. Proximo vere florem unum eumque adhuc minutum & subtilem e radice protrudere visa sunt, donec tandem tertio anno radice ad justam crassitiem perducta, perfectiorem reddidere. Diximus antea tertio anno in hortum transplantatam interire, quod tamen tantum de individuo radicis transplantatæ, non radicis propaginibus intelligendum est, illa enim corrumpere solet, hæ autem incrementum sumunt & quotannis revirescunt & ulterius propagantur, sicque florentem Pulsatillam ad diuturnum usque tempus in hortis conservant. Sicuti etiam in meo horto jam per decennium candido flore florentem, & absque ullo detrimento in hanc usque diem conservatam ostendere possum. Quod autem jam de Pulsatilla candida Anemon. folio dictum, hoc etiam de Pulsatilla flore intus albo, aversa parte cœruleo, cujus icon quoque num. 5. prostat, intelligendum est; in uno eodemque loco scilicet in der Ogunschen Heyde eam jam per quinquennium ex una eademque radice integram & perfectam quotannis reflorescentem vidimus, ita tamen ut e longinquo & quidem soli obversa parte ex candidarum numero appareret, verum in propinquo, parte nimirum aversa considerata, colorem dilute cœruleum referret & quidem in flore hexapetalo, undique lanugine obsito; quemadmodum ejusmodi bicolorem pulsatillam, inter eas quæ Apii folio sunt, intrinsecus albam observavit Bauh. in prodr. p. 94. & in Pin. num. 9. folia modo recensitarum pulsatillarum Anem. secundæ omni ex parte referunt. In hortum quidem ob metum corruptionis

non





Pulsatilla
Anemones folio
flore laciniato.



non transtuli, verum tam e radice sub cespite repente, quam e semine in terram prolapso propagari & augeri posse sufficienter intellexi. Non enim mihi erat grave reliquas Pulsatillæ species in circuitu evellere & eradicare, & in earum locum semina hujus Pulsatillæ spargere, quæ primitus plantulas subtiliores emittebant, tertio autem anno demum perficiebant, & cum flore, eoque in minimis accidentibus non mutato protrudebant.

§. V.

Nec tamen negligendam hic putamus Pulsatillam Anemones folio flore duplici. Clusius Pulsatillæ vulgaris, quod in flore duplicem foliorum seriem ostendat, mentionem in Histor. rar. injicit: Ast quod ille ex recensione dubia, de sua Pulsatilla timide retulit, hoc nos de nostra certe adstruere non veremur, cum eam quam sæpissime inter alias pulsatillas videre, legere & contemplari licuerit. Pulcherrima est hujus pulsatillæ facies, cuilibet enim petalo ordinario, alterum brevius & angustius innititur, ut ex fig. num. 6. addita poterit esse manifestum; Sationem & transplantationem quidem tentavi, verum florem magnam mutationem passum fuisse expertus sum; primo enim statim anno internam petalorum seriem amisit, & flos sex tantum petalis simplicibus cœruleis instructus sese ostentabat: cujus mutationis causam hisce exprimere solet Poëta:

Mutatam norunt subito quia semina matrem.

Huic associamus, Pulsatillam Anem. secundæ folio laciniato, cuius figuram quoque modo citata tabula num. 6. ostendit: florem hæc dilute cœruleum habet, petalis est tenuiter incisis vel dissectis, quibus externa facie in summitatibus quandoque a papavere sativo flore simplici, petalis tenuissime incisis non multum abit. Hujus varietas est Pulsatilla petalis alternatim trifidis, folio Anemones, in qua unum folium ob duas lacinias trifidum, alterum vero integrum appa-

ret: occurrit hæc, cum præcedente in der Ogonschen Heyde non raro, & quotannis ex eadem radice iisdem locis effloreſcit, verum pro certo affirmare non poſſum, eam ex ſemine propagari poſſe, cum caulem ſeminibus ad maturitatem perductis onuſtum mihi reperiri nunquam contigerit. Differentia quæ inter hanc & illam intercedit in eo conſiſtit, quod hæc hexapetala & folio alternatim trifido, illa autem polypetala, laciniisque inordinatis prædita ſit. Floret eodem cum reliquis hujus generis tempore. Sed ut adhuc dum in conſideratione Pulſatillæ anemones folio occupati ſimus, diverſitas ſpecierum efflagitat, ſcilicet Pulſatilla flore incarnate rubente folio Anemones, ſeu ut Breynius in Centur. loc. ſæpe cit. loqui amat, floribus inſtar hepaticæ rubræ pulchre rubentibus, quam cum quotannis ex eadem radice colore non mutato florentem viderimus, ſimulque transplantationem & ſationem ſine immutatione rubedinis ſuæ experti fuerimus, merito pro peculiari ſpecie agnoſcimus. Hæc in comparatione cum aliis hujus generis pulſatillis longe humilior eſt, petala quoque obtuſiora habet: in exſiccando quoque rubedinem difficulter conſervat. Iconem peculiarem non addidimus, lectorem ad num. 1. fig. a. & num 7. ſub quo varietates pulſatillæ exprimuntur, remittentes, ubi pulſatillæ nigro purpureæ figuram, his quam ſimillimam conſiderare poterit. Reliquas Pulſatillæ varietates quod attinet, quæ idem folium Anemones referunt, de iis pluribus diſſerere ſupervacaneum putamus, cum nullas peculiares ſpecies exhibere videatur, ſed ſolum vel floris obſoleto vel dilucidiore colore, vel petalorum obtuſiore vel productiore facie, a ſe invicem diſtingvantur, quemadmodum figuræ num. 7. exaratæ ſufficienter ob oculos ponunt: quarum una latioribus & productioribus, altera tenuioribus & obtuſioribus, denique præter ſolitum grandioribus petalis ſeſe conſpiciendæ præbent. Ubi tamen ſpecialiter obſervationem meretur,

retur, quod ea, quæ flore nigro purpureo dicitur, ita obſoleta ſit, ut violacea appareat. De cætero cum Pulſatilla incarnate rubente, quam modo deſcripſimus, quam proxime convenit, quod hic ſolum monuiſſe ſufficere poterit, cum alibi licuit invenire magis expoſitum.

§. VI.

Abſolutis jam Pulſatillarum ſpeciebus & varietatibus quæ Anemones folia referebant, lubet jam Pulſatillam folio craſſiore & majore flore, aggredi, hoc nomine a C. Bauh. in Pin. num. 1. p. 177. inſignitam. Dicitur hæc *craſſiore folio*, ſed non ſimpliciter, verum reſpectu habito ad Pulſatillam in Pinace ſecundo ordine *folio tenuius inciſo flore minore* propoſitam, cui quidem externa foliorum facie & figura aſſimilatur, quantitate autem, dimenſione & magnitudine ab ea toto cœlo differt: Id quod ex deſcriptione a Johanne Bauhino Tom. 3. l. 30. c. 21. p. 409. nomine Pulſatillæ purpureæ cœruleæve traditæ melius poterit eſſe manifeſtum: " tenuia folia, inquit, Paſtina-"cæ ſylveſtris folia ſimilia ſunt, niſi ab iis magnitudine vince-"rentur, tenui diviſura pilisque reſpondentia, ex pediculo lon-"giore, palmari circiter, admodum villoſo & propter terram "ſubrubente, appenſa: caulis teres, cavus, denſa lanugine ob-"ductus, dodrantalis, delapſo flore pedalis & major, nullis vel "ramis vel foliis donatus, unico excepto folio, quod paulo in-"fra florem naſcitur, denſo, mollique tomento comatum, cir-"cumcirca labri inſtar, aut acetabuli profundiuſculi caulem au-"gens, ſibique inferiore parte continuum, quod mox in laci-"nias numeroſas tenuesque finditur: caulis ſummo faſtigio "flos ſedet unicus, magnus, e ſex foliis acuminatis compoſitus, "purpuraſcens, foris hirſutus, intus glaber, levem ſed ſvavem " odorem aſpirans: medium obſidet ex oblongo rotundum ca-"pitulum, fibris apicibusque luteis cirratum: poſtquam autem "delapſus eſt flos, caulis ſupra folium ſupradictum, quintuplo, "aut altius excreſcit, proque flore ſuccedit comoſum capitu-

 lum

lum holosericeorum mollitie, argentei splendoris: appenso" unicuique stamini semine oblongo, tereti: delapsis porro ca-" ducis seminibus, una cum staminibus appensis caput relinqui-" tur rotundum: radix crassa, longa, nigra, in plura capita inter-" dum divisa, superius ex reliquiis marcidorum foliorum co-" mata, sapore nonnihil amarescente, & tandem acrimonia lin-" gvam vellicante; quam descriptionem integram retinuit Rajus" T. 1. l. 12. c. 6. Ubi eam simul ex Parkenson. Paradis. 199. & 200. *Danicam* nominavit, quam tamen *vulgari Anglicæ* tum radice & folio, tum etiam flore, qui colore est purpureo, hilariore minusque saturo, majorem esse asseruit; quod tamen aliter sese expertum fuisse Doctiss. Dn. D. Joh. Philip. Breynius testatur, scilicet quod ab eo quidem in Anglia fuerit collecta magnitudine vix duarum ad summum quatuor unciarum, veruntamen sæpissime quoque major fuerit reperta, & ad hunc usque diem in exemplaribus exsiccatis ab eo servetur, ex qua diversa Pulsatillæ facie tamen non diversimodam speciem, sed solam varietatem ei constituere placuit. Lobelius in Observat. Stirp. p. 150. & in descriptione lingua Belgica scripta p. 345. Pulsatillam vulgarem appellavit, extra dubium respectu habito ad vicinas regiones in quibus præ aliis Pulsatillarum speciebus magis frequens & copiosa apparet. Clusius in Hist. Plant. rar. l. 2. c. 56. p. 245. Pulsatillæ vulgaris duo genera in Austriæ & vicinarum regionum locis editioribus & vento perflatis inveniri perhibet: Unum præcocius crassiore folio, ampliore & dilutiore flore, quod ab Hungaris equina Pulsatilla dicitur: alterum non adeo præcox, folio tenuius inciso, floreque minore, quod virginis seu virginea Pulsatilla appellatur: Per illud non aliam quam Pulsatillam folio crassiore & majore flore, intellexit, sicuti ex descriptione & icone patet; per hanc vero C. Bauhini secundam, de qua in sequentibus fusius differendi dabitur occasio.

Su-

Supervacaneum hic putamus repetere reliquas hujus plantæ Synonymias, diversimode ab Autoribus allegatas, cum eas jam ex capitis primi §. 5. & seqq. quilibet pro lubitu excerpere poterit. Colorem Joh. Bauh. in flore purpurascentem seu cœruleum purpureumve in descriptione dixit: verum C. B. in Pinace ei colorem ut plurimum violæ nigræ purpureum adsignat, & quidem pro loci ratione umbrosi vel aprici, obsoletiorem, intensiorem vel remissiorem: Clusius testatur mixtum ineunte vere inter alias ejus generis *lacteo flore* inveniri. Tempus florendi agnoscit vernale: mense Martio in montibus Germaniæ circa Bonam & Altorffum frequens est; circa Helvetiorum Badenses thermas, circa Oxoniam in Anglia, itemque in Italia & Gallia copiosissime provenit. In PRUSSIA a Lœselio in ficcioribus in districtu Brandenburgensi & circa Frauenburgum, item in der Wormitschen Heyde copiosa esse perhibetur; Verum si dicendum quod res est, cum ego neque in districtu Angerburgensi, neque alicubi in Prussia in excursionibus meis jam per viginti quinque annos continuatis vulgarem non observaverim Pulsatillam, non immerito de certitudine Pulsatillæ vulgaris in Prussia reperiundæ dubitare cœpi, suspicaturus num Lœselius a Clusio seductus, non potius hanc quæ est flore minore, folio tenuius inciso, quam quoque Clusius vulgarem appellavit, & sic flore saturatiore clauso, quia plerumque in collibus arenosis obvia est, intellexerit, quam eam quæ est folio crassiore & flore majore. Videtur in hanc sententiam quoque abiisse Doctiss. Breynius qui in MS. suo vulgarem inter exoticas recensere non dubitavit. Verum non inhærebimus pertinaciter huic opinioni certo fundamento destituti, sed manebit potius fides penes Autorem alias sat fide dignum. Figuras quibus hæc Pulsatilla adumbrata esset inculpabiles in nullo hactenus Autore vidimus; sed plerumque imperfectas & mancas, ex quibus qualem Pulsatillam referant, nec divinari licuit: Ipse J. Bauh. in Hist. l. c. fatetur se quidem duas figuras proponere, non quod sint diversa-

 rum

rum ſpecierum, ſed quod ſi quid in una requiratur, ex altera forte ſuppleri poſſit, & addit, quod ni factas jam emiſſet, meliores certe dediſſet: Dodonæus in Pempt. Tabernæm. in opere Germ. & Cluſius icones quidem ſat laudabiles tradiderunt, verum ſolum quoad folia & capitulum comoſum, floris autem juſta magnitudo ejusque proportio in eis propoſita non eſt: quod nos movit accuratiorem figuram num. 8. proponere, eamque non ſolum ex exſiccato ſpecimine, quod ex ſingulari gratia ſæpe laudati Dn. Breynii poſſidemus, ſed etiam ex citatorum Autorum figuris, radicibus, foliis aliisque partibus depromere: in qua ſi quædam non ſatis concinne fuerint expreſſa, venia, ut opinor, dignabuntur. Unum hic adhuc monere liceat, *Pulſatillam vulgarem flore duplici* reperiri; quod ſibi C. B. in Pinace ſignificatum fuiſſe memorat; ſicuti etiam Breynius Pulſatillam flore duplici notavit; cujus quoque Cluſius in Hiſt. rar. his verbis mentionem injicit: "Inveniri etiam mihi ſignificatum "fuit Pulſatillam, quæ florem duplici foliorum ſerie conſtantem "ferat, atque ex ejus ſemine natæ plantulæ miſſæ, quæ ubi ado- "leverunt, non duplicem, ut ſperaveram, ſed ſimplici ſex folio- "rum ſerie præditum florem tulerunt, præcociori ſimilem, lib. 2. c. 56. p. 246. quæ tentata tranſplantatio & per ſemen facta propagatio num ad Bauhini & Breynii Pulſatillas applicari poſſit, easque ex novarum ſpecierum claſſe excludere, in hoc, quia nil certi experientia deſtituti ſtatuere poſſumus, aliis dijudicandum relinquimus, & Lectorem ad figuram num. 6. propoſitam utpote cum modo dictæ flore quam optime convenientem remittimus. Inſerimus hic adhuc pulſatillam ejusdem generis, nempe Pulſatillam flore violaceo, duplici fimbriato, quam Tournef. in Inſtit. R. H. ex horto Regio Pariſienſi recenſuit: quod hac vice indicaſſe ſufficiat.

§. VII.

Progredimur autem ulterius viſuri Pulſatillas Apii fo-



Pulsatilla folio Crassiore & majore flore






Pulsatilla Apii fo
Vernalis floré m

folio vernalem flore majore, alteram vero flore minore, tertiam autem Autumnalem. Harum cum nulla figura hactenus lucem viderit, duas priores, ad quas tertia facile reduci poterit, num. 9. & 10. proposuimus. Descriptiones nobis C. Bauh. in Prodr. subministrat, ubi cap. 6. p. 94. de Pulsatilla agens num. 2. Pulsatillam Apii folio vernalem, flore majore, sequenti ordine tradit: Ex radice nigra, " longiuscula, folia plura, pediculis oblongis, pilosis donata, " crassa, dura, rigida, apii foliorum instar in quinas lacinias, & " hæ in alias divisa, margine piloso, prodeunt; inter quæ caulicu- " lus unciarum quatuor, nudus, at hirsutie incanus exsurgit, qui " florem magnum trium unciarum longum latumque, ex sex " foliis compositum, multisque apicibus luteis, ut & duæ se- " quentes donatum, sustinet; qui colore variat, aliquando ex al- " bo & subpurpureo mixtus, aliquando intrinsecus albus, ex- " trinsecus subpurpurascens, vernali tempore florens: in sylvis " circa Francofurtum ad Oderam"; Verum non satis accurata hæc descriptio esse videtur. Tribuitur enim ei a Bauhino *caulis nudus*: quod sagacissimo Rajo dubitandi ansam præbuit, num ad Pulsatillarum species referri possit, nec ne? Verum sat circumspecte hoc dubium movit, addita hac expressa cautela, si scilicet recte caule nudo descripta fuerit: hac siquidem ratione juxta illius sententiam ad Pulsatillas pertinere non posset, cum nota characteristica Anemonarum propria ad quas & Pulsatillas reduxit, destituta esset: Ubi simul cavet, se non ex animi sententia, sed ex aliorum opinione huic plantæ tam diu locum inter pulsatillas permisisse, donec certius constiterit, quo referri debeat. Sed facile huic dubio occuri poterit, si ostendatur minus considerate Bauhinum caulem nudum huic Pulsatillæ adscripsisse, ocularis enim inspectio satis superque testatur eam cum reliquis speciebus, foliolis quibusdam, caulem infra florem cingentibus, iisque villosis coronari: neque ejusmodi spe-

cimen

cimen ostendi posse (nisi forsan monstrosum) quod hocce ornamento careat, quemadmodum id non modo ex exsiccatis speciminibus, quæ ipse possideo, facile demonstrare possum, sed etiam ex recensione eruditissimi Breynii, qui eam circa Dantiscum quotannis florentem contemplatur, pro certo affirmare valeo. Præterea neglectam videmus in descriptione in foliis latitudinem, nervositatem, una parte dilucidum, altera magis obsoletum virorem, eorumque minus rigidam constitutionem; quemadmodum etiam neque quinarius laciniarum numerus pro determinato habendus est, sæpius namque in ternas lacinias & quidem obtusiores divisa esse deprehenditur: in flore color ordinarius non expressus, scilicet qui intus ex purpura svave rubet, extra vero præ villositate nimia, quæ flavescens est, magis est obsoletus. Secunda quam num. 3. in Prodr. & in Pin. proponit Bauh. est Pulsatilla Apii folio vernalis, flore minore, quam his verbis explicat: "Et hæc ex radice crassa, nigra, ob-"longa, folia crassa, pauca, oblongis pediculis donata, Apii in-"star, sed in tres tantum lacinias ad umbilicum divisa, quarum "quælibet in alias binas, ternasque lacinias, per marginem inci-"sas, secantur, & pilis vix conspicuis donantur: cauliculo vil-"losissimo, uncias duas alto, flos priore media parte minor, & "dilute purpurascens insidet: Aprili foliis plerumque carens "floret. Hæc descriptio quoque omnibus numeris absoluta non est, sed multis modis manca; verum ut aliquo modo corrigi possit, non solum ad ea quæ ad proxime antecedentem dicta sunt, attendendum erit, sed etiam quæ hanc ab antecedente distingvant, probe consideranda: scilicet quod non tantum floribus, sed etiam foliis minoribus, rigidioribus, in lacinias auctiores, non tres tantum, ut vult Bauhinus, sed sæpius quinque divisis, colore ex viridi & rubente mixto, differant, ut ex icone num. 10. cognosci poterit: crescit in districtu Dantiscano & variis locis Pomerelliæ. Tertiam quod attinet, nempe Pulsa-

tillam

lsatilla Apii folio Vernalis Num. 10. ad pag: 64.
flore minore







Pulsatilla flore clauso obsoleto. petalis reflexis:

tillam Apii folio Autumnalem C. B. in Pin. 6. in Prodromo vero 4tam, hanc cum a nemine in Pruſſia obſervatam eſſe ſciamus, in ſola Bauhiniana deſcriptione hac vice acquieſcentes, ulteriori examini ſubjicere ſuperſedemus. Tradit autem eam hoc modo: *Pulſatilla Apii folio Autumnalis*: radice eſt" longa, foris nigra, intus candida, foliis ad radicem plurimis," Apii modo in tres tantum lacinias, & his in alias diviſis, glabris," inter quæ cauliculus triuncialis, albis pilis villoſus, florem" præcedenti minorem obſoleti coloris, inſtar vulgaris, ſuſtinens, qui ut priorum flores, in capitulum hirſutum, quod ſemen continet, abit. Septembri menſe florens in Luſatia reperitur." Unum hic notandum, quod nimirum capitulum comoſum ſemine obſitum, in præcedentibus deſcriptionibus omiſſum, hic demum utrisque aſſignetur. Confer de his Rajum in Hiſt. ubi harum pulſatillarum deſcriptiones ipſiſſimis Bauhinianis verbis retentis, recenſitas, variisque obſervationibus comitatas deprehendere poteris, l. antea cit. p. 635.

§. VIII.

Sed nova ſeſe exerit Pulſatillæ ſpecies, nimirum, Pulſatilla flore clauſo obſoleto, petalis reflexis; quam curioſiſſimo Domino Breynio acceptam referimus, non ſolum quoad ſpecimen exſiccatum nobis miſſum, juxta quod & in icone num. II. exhibetur, ſed etiam quoad doctiſſimam deſcriptionem, ex qua differentia inter hanc & eam, quæ eſt flore nigricante, ſufficienter cognoſci poterit; quam hic ipſius verbis apponimus: Nova hæc ſpecies hactenus nec delineata, nec de-" ſcripta, apud nos licet omnium vulgatiſſima ſit; a nigricante" potiſſimum differt flore majore & colore ejus rubro obſoleto," foliisque majoribus latioribusque. Cæterum cum ea ferme" convenit, foliis Dauci tenuiter diſſectis, flore nutante, clauſo" & petalis reflexis. h. i." Hic quoque Pulſatillam flore minore nigricante C. B. in Pin. 3tiam ob ſingularem quam cum modo recenſita habet convenientiam locandam putamus.

Hæc ob diverſas appellationes confuſionem quandam apud Autores peperit: a Joh. B. T. 3. H. P. p. 410. *Pulſatilla flore clauſo cœruleo* inſcribitur. Lobelio in Obſervat. p. 150. dicitur *Pulſatillæ varietas*: eidem in Icon. Plant. 283. *Pulſatilla flore clauſo*: Dodon. & Lugdun. *Pulſatilla altera*. Tabernæm. *Pulſatilla 5ta ſive cœrulea minor*. Cluſio in Hiſt. rar. 215. " *Pulſatilla vulgaris ſa-* "*turatiore flore*, ubi eam ſimul deſcribit, quod ſit non adeo præ- "cox, folio tenuius inciſo, floreque minore & purpurei colo- "ris adeo ſaturi ut niger videatur. Optime monuit non adeo præcocem eſſe, teſtatur enim experientia, quod in ea flos non explicetur, donec tam in præcociore vel vulgari flore majore, quam in ea quæ eſt Anemones foliis, flos defluxerit, quod apud nos plerumque medio menſis Maji evenire ſolet, & licet unus vel alter flos defloreſcat, plures tamen mox propullulant, ita ut in una eademque planta caules diverſimoda facie appareant, alii qui flore, alii vero capitulis ſeminiferis ornati ſint. Junius præcipuum florendi tempus nobis oſtendit, quod ad initia Julii, & ſi pluvioſa fuerit æſtas, per totam æſtatem usque ad tempora Septembris durat; quod tamen non de omnibus plantis in univerſum, ſed tantum de paucis quibusdam ſpeciminibus intelligi debet, quæ ſæpe circa tempora autumni in flore conſpiciuntur, adeo ut initio cogitare cœperim me novam aliquam Pulſatillæ ſpeciem flore minore nigricante ſcilicet Autumnalem reperiſſe, quod tamen humiditati nimiæ, ut jam monui, qua ad hoc usque tempus flos protractus fuit, adſcribendum fuiſſe, poſtea cognovi. Folia ei adſcribit *tenuius inciſa*; aſt ſciendum eſt ſecundum majus & minus in eis quandoque varietatem occurrere, quam radicis vel craſſiorem vel tenuiorem conſtitutionem cauſare obſervavimus: neque etiam flos folia antecedit, ſed ea prius prodeunt, inter quæ tandem caules plerumque bini ſæpe etiam terni vel plures protruduntur, in quibus flos uncialis nutans, quem male Lobelius perpetuo clauſum dixit, conſpicitur, cum talem faciem tantum initio referat, quemadmodum

ex

Num:12: ad pag:66.



ex num. I. fig. d. patet, postmodum autem ita explicetur, ut petalis reflexis plerumque appareat, ex quibus semina cum apicibus suis croceis emicant; quod attendit C. B. quapropter in Phytop. l. 5. Sect. 2. num. 4. p. 318. hujus pulsatillæ mentionem injiciens, eam *foliis reflexis* appellavit. *Color* dicitur *nigricans*, non niger, hoc est ex purpura ita saturus, ut niger videatur, ut Clusius loquitur l. c. Moveri hic poterit quæstio diu multumque inter Botanicos agitata, num in Plantis *flores nigri* dentur? Hujus negativam plerique quidem defendunt, quorum nomine Cæsalp. l. I. de Plantis cap. 7. p. 14. ait: *colores omnes excepto nigro in floribus spectantur*, ubi post pauca causam addit: *nigredo enim*, inquit, *aut humorem sequitur semiustum, aut cujusque corruptionem: neutrum autem in florum generatione inest.* Verum Joh. Bapt. Porta l. 3. Phytog. c. 10. nigredinem in floribus adstruere videtur, & simul quomodo generetur, scilicet ex siccis & terrestribus partibus, quandoqve etiam ex multo calore cap. 15. indicat. Sed facile conciliari possunt diversæ hæ Autorum sententiæ, si consideraverimus Cæsalpinum cum aliis *negare nigros flores ex toto dari*, Baptistam autem *flores nigros ex parte* adstruere, vel tales quæ vel ad nigredinem vergunt, vel aliquid nigredinis alii colori intermixtum habent: qualis flos in fabis inter albedinem & purpuram atris quibusdam maculis notatus apparet, quas M. Varro lugubres literas appellavit: Festus Pompejus vero mortuorum animas in illis habitare superstitiose testatus est; quemadmodum etiam in Iride Susiana nigri colores observantur, ut Goer. Rolf. de vegetab. l. 2. sect. 4. c. 10. p. 165. refert. Dioscorides quidem nigrum colorem in floribus admittere videtur, verum satis distincte ejus mentem explicat Bod. a Stap. in Theoph. Hist. inquiens: *eum album & nigrum vocare, quod ad utrumque vergit tenditque colorem*, l. 4. c. 51. p. 1037. Ex quo manifestum est certo respectu dari & non dari nigredinem in floribus: quod & de Pulsatilla intelligendum est, in qua per nigricantem colorem in flore, non plane niger, sed ad nigredi-

nem quam proxime accedens, vel ita obſoletus indigitatur, ut niger eſſe appareat. Non tamen ſolum nigricante colore in flore ſuperbit modo dicta Pulſatilla, ſed etiam COLORE ALBO nonnunquam obſervatur: teſtatur hoc Cluſius de hac & vulgari, flore majore differens: *invenitur autem utrumque genus interdum FLORE LACTEO, & ſimul ineunte vere flores producens* l. c. & Rajus recordatur ſe *pulſatillam flore clauſo, ALBO FLORE* alicubi vidiſſe, in Sylloge pag. 210. Et licet confundere videatur Rajus hanc Pulſatillam cum Pulſatilla vulgari ſeu folio craſſiore & majore flore, reipſa tamen nulla confuſio eſt; noverat enim optime Rajus eam, quæ eſt folio craſſiore & majore flore, communiter pro vulgari haberi, ut ſuo loco oſtendimus, quæ vero eſt flore minore nigricante, non ſolum a Cluſio inter vulgares, ex eo quod in Auſtriæ & Pannoniæ collibus & locis editioribus quam copioſiſſime inveniatur, recenſitam eſſe, ſed etiam quod in Anglia plerumque pro vulgari venditetur, quemadmodum hoc non ſolum ex ſylloge ſtirpium exoticarum concludi poteſt, in qua loco modo citato Pulſatillam flore clauſo vulgarem nominavit, ſed etiam ex ipſa Hiſtoria Plantarum clare patet, in qua hanc Pulſatillam referens, addit: *Cluſius Pulſatillam noſtram Anglicam vulgarem intelligere videtur*. p. 634. Creſcit apud nos in der Guyſchen Heyde copioſe, in diſtrictu Loecenſi prope Bogacjewen am Kirchhoffsberge, in monte Grodzysko ad Ekersbergam, & aliis locis pluribus. Icon Lobelii 283. quidem hanc plantam aliquomodo exprimit, ſicuti etiam Dodonæi pag. 433. Verum cum in uno vel altero manca videretur, num. 12. ad vivum repræſentatur.

§. IN.

Viſis jam Pulſatillis nobis inquilinis, jam ad *Exoticas* faciemus progreſſum, quas cum Pruſſia noſtra non alat, neque nobis vel recentes intueri, vel exſiccatas aliunde acquirere contigerit, fuſius recenſere ſuperſedebimus, certa ſpe freti fore, quo L. B. deſcriptionibus ex aliis Botanicis excerptis hac vice ſit

ac-

acquieturus, & si quæ in eis desiderari posse deprehenderit, vel ex aliis quibus magis perspectæ sunt, vel ex oculari inspectione, & observatione propria, pro sua singulari benevolentia supplere dignabitur, & si libuerit, circa eas collectas observationes & animadversiones ad ulteriorem nostri informationem nobiscum communicare, quod nos omni tempore, grato animo veneraturos esse sancte pollicemur. Ex harum numero prima est, Pulsatilla folio tenuius inciso & flore minore, sive Palustris C.B. Pin. 2da. p. 177. in Prodr. 1ma. p. 94. in quo sat perspicuis verbis delineatur: „*Pulsatilla palustris*, soliis est „ad radicem in tenuissima & angusta segmenta divisis, eorum pe-„diculis hirsutis, inter quæ caulis pedalis, rotundus, rufescens, „levi lanugine aspersus, cujus medium folia capillacea acuta „cingunt, ipsiusq; summo flos unus, villoso capitulo ex capilla-„ceis foliis composito sustentatus, insidet, qui vulgari longe mi-„nor, ex foliis sex acutis, violæ nigræ colore compositus, stami-„nibus in medio luteis: capitulum villosa cæsarie comosum, „& incanescens cum semine succedit. Hæc in pratis udis & „paludosis Michelfeldæ provenit: & in hortum translata, cum „vulgari, vegetior quidem fit, sed formam & colorem reservat h. i. Varietatem hujus affert Tournef. in Inst. R.H. ex Horto Regio Paris., quam Pulsatillam folio tenuius inciso & flore minore seu palustrem dilutiore flore nominat, de qua autores loc. citato ulterius consuli possunt. Altera est Pulsatilla flore albo C. B. Pin 177. Germ. Schneeblumen, Schneehänlein, weisse Küchenschelle. A. Joh. Bauh. Pulsatilla alba dicta, cujus descriptionem hisce contexuit: „Foliis „est multo amplioribus, quam reliquarum ulla, nec ita etiam „minutim concisis & ad Mirrhidis sylvestris foliorum divisu-„ram quodammodo accedentibus, & nonnihil hirsutis; cau-„lem qui cubito longior nonnunquam, medium cingunt con-„similia quoque folia (Rajus addit terna). Cæterum flos, qui

 sum-

„ſummo cauli hæret unicus, lacteo eſt candore, quem villoſum „capitulum criſtatumque conſequitur, aliarum more. Radix „itidem craſſa.„ Rajus plantam ſpecioſam eſſe, tam in Hiſtor. quam in Sylloge perhibet, eamque non floris tantum colore, ſed tota ſpecie a Pulſatilla flore clauſo (Angl. vulgari) quæ itidem flore albo occurit, ut antea oſtendimus, diſtinctam eſſe affirmat. Lobelius quoque Pulſatillæ albæ nomine inſignivit, & differentiam quæ inter eam & vulgarem intercedit, in ejus folii majoris quantitate, majorique floris albi peramœni elegantia collocavit, in Obſervat. p. 150. & in Icon. p. 282. ubi icon omnium conſenſu reliquis omnibus palmam præripere perhibetur. Geſnerus in deſcriptione montis Fracti Anemonem Alpinam vocavit. Oritur in ſummis Iuræ montoſis jugis copioſe juxta Rajum; juxta Cluſium vero in celſioribus Etſcher, & inter ſcopulos Dürrenſtein radices agere dicitur. Floret Iulio, interdum duntaxat Auguſto: ſemen plerumque perfectionem ſub finem Auguſti aſſequitur. Tournefortius in Inſt. Rei Herb. meminit eandem flore albo duplici floruiſſe, ibique Hort. Reg. Par. citat, nobisque Pulſatillæ Pyrenaicæ flore albo duplici nomine propoſuit, quod hic indicaſſe ſuffecturum putamus. Huic aſſociamus Pulſatillam flore rubro obtuſo. C. B. Pin. 8. p. 177. Hanc I. B. a vulgari non ſolum floris colore, ſed etiam forma foliorum, quæ tenuius diviſa, differre ſcribit: florum item foliis quæ in priori acuta, in hac obtuſa apparent: nos addimus, quod cum noſtra Pulſatilla flore incarnate rubente, cujus tractationem ſupra §. 5. præmiſimus, fere conveniat, præter folia, quæ in noſtrate Anemones ſecundæ ſimilia ſunt, in hac autem tenuiter diviſa apparent. Pena & Lobelius ex Alepo Syriæ urbe ſe habuiſſe referunt in Adverſ. p. 114. Cujus tamen figuram in obſervat. p 149. & in Icon. 282. proponunt. In Tabernæmontani opere Germanico icon rubræ minus conſiderate luteæ pulſatillæ num. 3tio aſſociatum apparet, cum tamen deſcriptio jam

num.

num. 2do præcesserit, & 3tio non alia quam lutea proposita sit lib. 1. c. 18. p. 80. & 81. Clusius mentionem quidem ejus injicit, verum ingenue fatetur, se eam non vidisse. C. B. in Pin. dubius hæret, num hæc Pulsatilla non sit Anemone quarta a Camerario in Epitome p. 389. delineata? Verum si dicendum quod res est, non videmus quo pacto hoc ex loco citato colligi poterit, cum in apposita figura stamina cum apicibus non appareant, deinde in descriptione radix globosa esse perhibeatur, quæ magis Anemonis quam Pulsatillis convenire solet, & denique quod cultis locis provenire dicatur, cui tamen sententiæ reliqui Autores non subscribant, sed inculta, arida & saxosa loca ei assignent, ut ex Matth. Comm. in lib. 2. Dioscor. c. 172. p. 462. patet; qui l. c. simul accuratiorem descriptionem ejus affert, his verbis: *Pulsatilla rubra*, non adeo alte excrescit, folioque est minuti-" us inciso: flore minore ex longioribus & angustioribus foliis," iisque rubris composito: " pag. seq. 463. lin. 18. & 19.

§. X.

Perspectis his, jam ad luteas Pulsatillæ species deproperamus. Tres hujus species numerat C. B. in Pin. 177. & Phytop. 316. quatuor recenset. Primam in Pin. num. 10. nominat Pulsatillam luteam Apii hortensis folio: hæc non est alia quam Pulsatilla secunda Alpina Dalechampii Lugd. p. 851. lib. 7. c. 30. ubi describitur esse radice tenuiore, breviore, mi-" nus atra, foliis hortensi Apio similibus, paulo latioribus, hir-" sutis, radicem ambientibus, multis in caule, dodrantali, lanu-" ginoso, media sui parte villoso glomo pubescente, e quo prodit" flos aurei coloris. Secundam num. 11. scilicet Pulsatillam luteam Pastinacæ sylvestris folio proponit in Phytop. 8. quæ tertia est Alpina Dalechampii Lugd. p. 851. lib. 7. cap. 30. ibique sequenti ordine delineatur: "Radice est quam in supe-" rioribus graciliore, folio Pastinacæ sylvestris, apicibus in me-" dio flore coacervatis luteis, quos in seminibus conceptaculum" tandem formatos spissa lanugo vestit. Inserit quidem Joh.

Bauh.

Bauh. hanc deſcriptionem ſuo operi, verum fatetur ſe apud fratrem Pulſatillæ luteæ ſecundum genus quidem vidiſſe, quod vero ſit tertium eum latere; aſt Cluſius huic rei penitius intentus, ſub nomine Anemones tertiæ, hiſce noſtris oculis expoſuit: "Ab radicis (quæ nonnunquam minimi digiti craſſitudinem æ-"quat) villoſo capite, multa germinant folia, Pulſatillæ foliis "pene ſimilia, laciniata, & multis diviſuris ſecta, mollia & parte "ſupina viridia, prona autem paululum candicantia & valde "hirſuta; inter quæ caulis emergit nudus, rotundus, lanugine "obſitus, circa ſummum ſuſtinens foliola, e quibus prodibat "vulgari Pulſatillæ ſimilis pediculus, cui inſidebat unicus flos "major, ut plurimum pulſatillæ vulgaris flore, ſex foliis con-"ſtans, quæ interiore parte valde flava erant, exteriore autem ob "lanuginem dilutiora & pallentia: in hujus meditullio orbicu-"latum caput eminebat, luteis ſtaminibus cinctum, cui villoſa "cæſaries ſuccedere videbatur: quam Auguſto menſe maturi-"tatem conſequi arbitrabatur Tobias Rœlſius, qui in Alpium "planis eam obſervabat, nuſquam vero abundantius, quam cir-"ca pedem montis S. Bernhardi, qua Helvetios ſpectat, lib. 2. Hiſt. rar. c. 56. p. 245. confer. Rajum l. cit. p. 634. Icon Iohanni Bauhino in Hiſt. Lugd. propoſita inepta & falſa eſſe videtur; cui ſubſcribit C. B. in Animadverſionibus in Hiſt. General. Plant. Lugduni editam, conſcriptis p. 41. dicens: *in his duabus figuris*, ſcilicet Pulſatillæ primæ Alpinæ Dalechampii, quam mox propoſituri ſumus, & pulſatillæ Alpinæ ſecundæ, *quæ diverſarum plantarum ſunt, folia non recte exprimuntur, ut in noſtra hiſtoria oſtendemus* h. i. Expectamus itaque aliquando ab aliis figuras magis convenientes magisque laudabiles. Reliquum eſt, ut ad tertiam PULSATILLÆ LUTEÆ ſpeciem progrediamur, quæ apud C. B. in Pin. num. 11. p. 177. PULSATILLA LUTEA ALPINA HISPIDIOR audit, & Phytop. 6to ordine traditur: Germanice Gäle Bitzwurtz, Gelb Küchenſchell. Et in Hiſtor. Lugd. pro prima Dalechampii habetur: deſcriptionem in-

de

de excerptam Rajus & J. B. his verbis recitant: Palmaris eſt" Planta, radice craſſa, foliis cœruleæ modo diviſis, ſed ſegmen-" tis latioribus, valde hirſutis: caulis ſingularis unicum ſummo" faſtigio ſuſtinens florem, colore luteo præditum, foris hirſu-" tum, intus glabrum, obſidente medium, magno apicum nu-" mero. Miratur J. Bauh. quod hæc in Phytop. a lutea Camerarii ſeparetur, & ſic quarta Pulſatilla lutea, quæ ibidem quinto numero poſita eſt, conſtituatur, cum tamen inter utramque nulla intercedat differentia, ſed una eademque ſit; num forſan ideo factum, quod ei florem luteum ſubrubentem adſcribat? quod caſu evenire potuiſſe in uno aliquo individuo exemplari, non negamus, præſertim cum ipſe Camerarius opere Germ. in Matthiolum fateatur, pictum tantummodo ſpecimen accepiſſe, & J. Bauh. teſtetur, quod figura quam Camerar. propoſuit ad plantam ejus ſiccam Geſnero miſſam facta fuerit, ex quo tamen non ſtatim nova aliqua ſpecies fingi debuit. Sicuti etiam fruſtraneum metum eſſe putamus J. B. ambigentis num Lobel. in Adverſ. & Dodon. in Pempt. Pulſatillam luteam commemorantes hanc noſtram intellexerint: ſiquidem eam a vulgari colore tantum diſtinxerint: Dubium enim hoc, præprimis quod Dodonæum attinet, facili negotio Autoritate C. B. in Comment. Matth. in Dioſc. tollitur; non enim ſolum l. c. hanc ipſam Pulſatillam, quam Camer. in Matth. cum figura tradidit, num. 9. ſequenti ratione deſcripſit: *Pulſatilla lutea vulgari ſimilis*, foliis tamen" minus laciniatis flores ſummis cauliculis inſident lutei, Maji" medio florentes, quibus ſuccedunt capitula, pappoſum barba-" tumque ſemen continentia. In monte Helvetiorum Gothar-" do, & in montibus Taurinenſium provenit; "ſed etiam a Geſnero in Hort. Germ. a Lugdunenſibus, a Camerario edit. Matthioli, & inprimis a *Dodonæo* traditum eſſe aſſerit: quocum conſentit & Tabernæm. qui Dodonæi pulſatillam quoque ad hanc revocat. Id quod etiam de Lobelii Pulſatilla dicendum eſſe reor, utpote cum nulla ibidem dubitandi circumſtantia, data re-

periatur. Floret Maji medio. Cherlerus in monte Gerhardi, Joh. Bauh. in Rhætiæ monte Julio reperire. Tabernæm. ſibi e Pedemontio ſiccam miſſam fuiſſe tradit, indeque *Pulſatillam Pedemontiam* cognominaſſe aſſerit: Neuvollkommenes Kräuter-buch p. 72. Quæ autem ratio ſit PULSATILLÆ ALPINÆ FLORE ACAULO MINORE nondum deſcriptæ in Regn. Veget. Eman. Königii memoratæ part. altera c. 7. p. 91. alias in monte Fracto reperiundæ, ab aliis informationem expectamus.

SECTIO SECUNDA PRACTICA.

CAPUT I.

Vires Pulſatillæ examinat.

§. I.

PRæmiſſa Pulſatillæ Hiſtoria, ad ea quæ vires ejus explicant (quod hujus ſcripti alter ſcopus eſt) deproperamus. Non enim ſatis eſt Plantam aliquam noviſſe, ſed neceſſum etiam eſt exploratis ejus facultatibus uſum ejus oſtendere, ad evincendum plantas creaturarum & inprimis hominis gratia creatas eſſe. Homini namque univerſa natura ancillatur. Unde Ariſtoteles *Planta propter plantam non eſt creata, ſed propter animal.* lib. 1. de plant. c. 2. p. m. 771. circa finem. Animantia nutriuntur plantis, quæ iterum homini cedunt in alimentum, ſæpe etiam in medicinam. Homo non ſolum oblectatur plantis & ſummam voluptatem ex earum pulchritudine & numeroſa varietate capit, ut jam antea monuimus, ſed etiam ad uſus ſuos quotidianos transfert: ex ſiligine, tritico, hordeo, avena, e milio, panico, piſis, panes, cereviſiam & pulmenta præparat. Radicibus & oleribus varii generis in culinis utitur: flores ſvaveolentes non ſolum ſpargit hinc inde, iisque conclavia exornat, ſed etiam ad recreanda & refocillanda præcordia naribus admotos

ol-

olfactui applicat, & rite præparatos in medicinam ſumit. Quem ob finem Creator ex ſingulari benignitate cuique regioni ſufficientes herbas largitur, quæ & ad conſervandam ſanitatem & ad depellendos morbos neceſſariæ eſſe poſſunt: id quod tot conſcripti catalogi & herbaria, tot & tanta ab ortu ad occaſum inſtituta itinera, multæque advenarum experientiæ teſtantur. Et licet quotidie experiamur ita a natura inter homines comparatum eſſe, ut ii vegetabilia plerumque flocci pendant, eaque ob familiarem uſum deſpiciant, imbecilles eis vires in curandis morbis præcipue refractariis adſcribendo, omnemque ſuam ſpem in ſolis mineralibus collocando; nihilominus tamen extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, vegetabilia ſi medicis conſveta methodo ex odore, ſapore eorumque cauſis & effectibus examinentur, aut Chymica Analyſi excipiantur, tot tantasque oſtendere vires, ut eas ſatis deprædicare non valeamus: quod Plinius conſiderans, inquit: *Mille ſunt uſus, ſine queis vita degi non poteſt*, lib. 12. c. 1. Interea quas herbæ & ſtirpes in univerſum omnes in ſinu ſuo fovere atque in viventes conferre obſervatæ hactenus fuere utilitates, eas quoque non minori fœnore pulſatillam noſtram præſtare poſſe in confeſſo poſitum eſt: id quod ex ſequentibus magis poterit eſſe manifeſtum. Ubi tamen præmonendum erit, nos hic extra oleas non eſſe vagaturos, neque falcem in alienam meſſem miſſuros, cum non Medici fungamur officio, ſed in deſcribenda pulſatilla Botanici tueamur partes, ideoque accuratiorem plantæ noſtræ reſolutionem arte Spagirica inſtituendam iis relicturos, quibus de meliore luto finxit præcordia Titan. Ea tamen quæ in medium proferentur ex doctiſſimorum Botanicorum & Medicorum monimentis excerpta proponemus, adjectis nonnullis ex propria experientia depromptis, idque non aliam ob cauſam, quam ut opellam hanc noſtram lecturis, id quod a diverſis Autoribus ſeparatim & diffuſe pertractatum fuit, hic collectim & quaſi in nuce proponeretur.

§. II.

Quodsi jam ex veterum sententia, qua in vires plantarum inquirere solebant, vel loci, vel temporis quo vegetare solent, vel denique signaturæ aliqua habita ratione, pulsatillæ virtutes explicare velimus, certe eam non solum ex fibrosæ radicis & comosa pappescentis capituli facie, capillorum vitiis videlicet alopeciæ, canitiei & similibus mederi conjiceremus. Cujus opinionis faber jam dudum extitit Joh. Bapt. Porta in Phytogn. lib. 3. c. 35. & ejus assecla Oswald. Crollius lib. de signaturis p. 20. quorum posterior de lanugine malorum Cydoniorum scribens, eorum decoctum quod saltem aliquo modo capillos referat, in restituendis capillis a lue venerea defluxis efficacissimum subministrare posse remedium statuit: quod judicium de Pulsatilla ob capillatam ejus, ut diximus, lanuginem quoque ferri debere, ex eodem capite facili negotio quis concludere posset; simulque de nervosis foliis, quod nervis & venis prodesse, imo manibus & digitis, quorum chiromanticam figuram exprimunt, (siquidem manus herbarum folia sunt) ex sententia modo citati Crollii affirmandum: ex structura iterum floris aperta oculum quadantenus repræsentante, pulsatillam medicamentis ophtalmicis annumerandam; ob figuram campanæ formem quam refert, tinnitui aurium applicandam, vel lethargo laborantibus commendandam autumaret: ulterius autem si progredi placeret, eorundem scriptorum autoritate ex coloris cœrulei & purpurascentis natura, melancholicis & lienosis affectibus, quibus Saturnus præesse creditur, mederi. Tempus vernale quo effloreścit, si consideretur, eam illis solum morbis opitulari posse, qui eo tempore oriuntur, pro aris & focis defenderet: Quemadmodum hoc de pulsatilla nomine fremii vel limonii a Bapt. Porta inter vernales plantas recensita, sat luculenter colligere licet. lib. 6. cap. 24. Verum quam infirmo fundamento ad hos animi lusus pro demonstrandis plantarum

viri-

viribus & usibus Autores recurrant, jam Sect. 1. c. 4. §. 1. ostensum est, imo facile quilibet cognoscere poterit, qui horum scripta & conclusiones ad veritatis stateram examinaverit, *figura enim rei*, ut Doctiss. Ledelius l. c. scribit, *pertinet ad superficiem*, *superficies vero ad quantitatem, quantitatis autem nulla est efficacia.* Loci, cujus quoque in explicandis & applicandis herbarum viribus quendam olim habitum fuisse respectum diximus, ea est ratio, ut plantas prout vel aquosis, humidis, paludosis iisque dulcibus vel salsis seu marinis nascuntur locis, vel in montosis, pingvibus, macris, saxosis vel arenosis proveniunt, vel in umbrosis egrediuntur, vel soli aprico expositæ sunt, ita earum vires vel imbecilles & debiles, vel validiores & maximarum virium, vel præ nimia humiditate steriles, vel ob siccitatem calidas dijudicarunt. Cui examini si subjiciatur pulsatilla, ex eo quod alimento sicciori ex asperis & sitientibus locis inter arenas vescatur, calefaciendi & exsiccandi vi præditam esse ex eorum mente censendum foret. Num autem signa, utpote Arietis & Martis, sub quibus Pulsatilla ob caliditatem & siccitatem suam esse, tam ex Toxite quam Carrichtero colligitur, peculiarem virtutem pulsatillæ conferant, aut præter Solem & Lunam, influentiis quibusdam imprægnent, Astrologiæ cultoribus ulterius indagandum relinquimus.

§. III.

Nec tamen plane de nihilo esse videtur facultates pulsatillæ, ad primas, ut ajunt, qualitates, respectu caloris, frigoris, humiditatis & siccitatis reducere, atque ex eis earumque certis gradibus vires & effectus in Medicina experiri, cum id Medicorum tam antiquissimi quam recentiorum non pauci in aliis plantis observarint, quorum patrocinium inprimis Dodonæus lib. 1. Pempt. c. 3. & 4to, & alii in se susceperunt; Verum si di-

cendum quod res eſt, cum argutior magis quam utilis hæc doctrina videatur, neque de qualitatum gradibus in plerisque Autores conſentiant, ſed ex ſaporum differentiis & gradibus de temperamentis judicium faciant, ejusmodi minutiis, ut ipſiſſimis verbis Celeberr. Raji Hiſt. lib. 1. c. 24. p. 49. utar, immorari non neceſſarium duximus. Sed multo felicius ex odorum, magis autem ſaporum differentiis virtutes inveſtigari poſſe, cum Doctiſſimis quibusque adſtruimus. Nam quæcunque plantæ, ut iterum Rajus ſcribit, ſaporibus conveniunt, eas quoque facultatibus conſentire veriſimillimum eſt: Odor quidem aliquid manifeſtat, ſapor vero majus judicium ferri poſſe demonſtrat, a quibus tamen color, licet parum ſubſidii afferat, certo reſpectu excludi non debet. Hæc ſi ad oſtendendas Pulſatillæ vires applicare licet, ex acri linguam & os compungente, ſimulque calefaciente & interdum quaſi exurente acrimonia, ejus uſum & virtutes facile hariolari licebit, ſcilicet quod ranunculis aſſimilanda & ſimul cauſtica ſit, externisque magis quam internis corporis partibus adhiberi debeat, externis quidem tutius, internis vero cautius, & non niſi arte præparata, ut acrimoniam ſuam, qua partem corporis quam tangit, ſi imponatur trita, exulcerare & erodere ſolet, deponere poſſit, quod Dioſcorides de Anemone ſi intro ſumi velit, ptiſana elixanda ſvadet. Confer. L'Obel Adverſ. Stirp. p. 110. Cui tamen judicio radices utpote ſubdulci quodam ſapore præditas non ſubjicimus, ſed alexipharmacis cum Schrœdero in Pharmacop. lib. 4. p. 154. annumeramus, præſervative & curative in peſte adhibendas: quas facultates ex ejus ſapore nonnihil amareſcente, & quidem juxta Joh. Bauhinum & Rajum pulſatillæ ea ſpecie, quæ eſt folio craſſiore & majore flore, colligi poſſe autumamus. Breviter tota herba, id quod Brunfelſius ab Empiricis compertum habuit, vulneraria eſt. Folia, caules & flores, cum acerrimo ſint guſtu,

ſtu, excalefaciunt & ſiccant, ordine quarto, ut loquitur Matthiolus: incidunt, attrahunt, attenuant, digerunt, expurgant, exulcerant. Quas virtutes Galenus omnibus Anemonis, quod unius ejusdemque ſint naturæ, adſcribit, ut lib. 6. Simpl. Medic. videre eſt, ſcilicet quod ob acredinem ſuam extergendi, attrahendi & ora vaſorum reſerandi facultatem obtineat. Num autem in receſſu quasdam virtutes Pulſatilla ſervet, quas arte Spagirica in lucem provocare fas ſit, capite ſequenti examinabimus.

CAPUT II.

Præparata & Uſus Medicos recenſet.

DIſtinctis quidem capitibus Pulſatillæ præparata ejusque ad uſus medicos applicatio recenſenda fuiſſent, verum cum materiæ cognatæ connexio hujusmodi tractationem expoſceret, inſtituti quoque noſtri ratio inanem prolixitatem diſſvaderet, utriusque conſiderationem capiti huic ſecundo inſerere conſtituimus. Tractata fuit hactenus Pulſatilla non tantum a Pharmacopolis ſed etiam a plebeiis diverſimode, hi procaci audacia ſua quodlibet tentare conſveti, unum atque alterum modum, eam ruditer in uſus vocandi, varieque morbis accomodandi & applicandi, quanquam ſæpe fruſtraneo effectu, excogitarunt, illi vero neceſſitati ægrotantium inprimis in malo pertinaci liberaliter ſubveniendo, ex conſilio doctiorum, juxta artis præcepta cautius adhibendam docuerunt: qua de cauſa ejus clauſtra & viſcera quam ſolertiſſime reſerare & ex eis varia medicamenta evocare allaborarunt. Quæ in quantum proſtant, ordine conſiderabimus. Inter quæ primitus ſe offert

Herba Pulſatillæ recens.

Variis hæc corporis humani incommodis ob vim ſuam cau-

causticam cutemque exedentem prodesse putatur, idque cum nec vulgus fugiat, hinc quocunque modo vel in mortario vel inter lapides contusa, loco affecto externe applicatur. Primo quidem in suffusione seu obstructione circa pupillam, nata ab humore lento, folia pulsatillæ recentis contusa, abrasis prius capillis, suturæ coronali imponuntur, quæ humorem ingravescentem plus quam alia quæcunque medicamenta discutere & abigere valent. Porro dolor coxendicus, eodem fere remedio expeditur, scilicet folia Pulsatillæ conquassata parti affectæ imponuntur, quæ si per 4. 5. vel 6. horas immota manent, vesicas educunt, per quas perniciosi & acres humores ad cutem evocantur, quæ forfice apertæ materiam peccantem ejiciunt, & postea butyro insulso illitæ sanantur, vel quod præstat, si folio brassicæ recentis, prius in calenti tegula tepefacto butyri insulsi portiuncula inungatur, non solum statim dolores mitigabuntur, sed etiam vulnus, si quod fuerit, curabitur. Tabernæm. Nonnulli contusam Pulsatillam carpo applicare solent, ut pustulæ excitentur, tertiana laborantibus, quæ sæpiuscule hac arte abigitur, Sim. Pauli. Quod consilium etiam præbet Olaus Borrichius in tertiana intermittente exquisita, qui epithema ex floribus ad corpus applicare jubet, ut excitata vesica, & sero inde prodeunte morbus solvatur. De usu plant. indigenarum p. 9. Roborat hoc de L'Obel in Advers. Stirp. inquiens: Pulsatilla crustas emarginat admotis foliis p. 114. quæ non aliam ob causam excitantur, quam ut causa mali intus hærens, ad extremitates educta, emittatur. Eadem ratione recens tusa commendatur ad calculos, gangrænam, putrida vulnera, papulas, mariscas, verrucas, & maculas: cumque succo suo duris & scabris ungvibus imposita, absumit, quicquid id est vitii, ut testantur Joh. Bauh. in Histor. T. I. p. 410. fin. & Tragus l. c. quemadmodum etiam pulvis & succus expressus scorbuticis & gangrænosis exulcerationibus inspersus & immissus, ea mundifica-

ficare, erodere & consumere putatur. Paulus Ægineta plantam appositam lepras tollere & lac in mammas suggerere scribit lib. 7. p. 349. quod Joannes Andernaci in Commentario de nostra Pulsatilla purpurea explicaturus ait: *ex Galeno hæc omnia sunt transcripta, verum in illo ἀνασπῶσι, quasi dicas sursum in mammas adducunt: in Paulo autem & Dioscoride καλασπῶσι legitur,* h. i. Verum non solum quibusdam humani corporis affectibus herbam pulsatillæ recentem auxilio esse dicendum est, sed etiam quomodo aliorum animalium necessitatibus conducere possit, ostendendum erit. Notavimus Sectionis Imæ c. I. §. 6. pulsatillam ab Helvetis Bitzwurtz appellari, quod cataplasmatis in modum vulneribus, animalium venenatorum morsibus causatis imposita, pecori sit salutaris; qui applicandi modus & nostratium mulierculis hucusque non fuit incognitus: simulac enim aliqua verrucosa, ulcerosa vel etiam gangrænosa pars in corpore vel membris pecudum ab illis deprehensa fuerit, mox contusam pulsatillam loco affecto imponunt, & si sordida fuerint ulcera, lixivio prius pulsatillæ, deinde brassicæ & corticis fabarum abluunt, idque remedium alternatim tam diu innovant, donec penitus sanentur. Inprimis in equis ephippio pressis ulcera vel tumida vel aperta hac herba curare solent, non alia methodo, quam quidam persicaria ex consilio Theophrasti Paracelsi id præstare consveverunt, Theoph. Oper. Medico-Chim. lib. 7. c. 3. p. m. 99. Et licet externis tantum corporis malis in subsidium vocandum esse jam ostendimus; nihilominus tamen & internis morbis interdum opitulari posse ipsa bruta animantia nos docent. Exempli loco nobis poterit esse ALCE Anno 1694. die 28. Aprilis a Friederico Dresler t. t. districtus hujus sylvarum præfecto in adjacente Sylva Regia trajecta, in cujus gula cute exuta, tumor quidam insolitus cum rubedine sese prodebat, cujus causam suscitans sylvarum præfectus gulam cultro aperire jussit, qua

patente animadvertit Alcem Oeſophagi ulcere (jam tum aperto) laboraſſe, fauces vero & gulam pulſatillæ herba & floribus farctas fuiſſe, unde conjiciebat Alcem naturæ inſtinctu, plantam hanc quæ in ſylva dicta non creverat, in translacuſtri pineto, in medicinam ulceris quæſiviſſe, ejusque acredine ulceris eroſionem & effluxum procuraſſe. Nec mirum hoc cui videatur, in confeſſo enim poſitum eſt, id quod homini nocet, beſtiis proprietate quadam congenita poſſe eſſe ſalubre; Struthio-camelus volucris digerit & concoquit ferrum, coturnices ſemine hyoſciami & veratri pingveſcunt: ſturni cicuta aluntur: quæ tamen homini non conducunt, imo venena ſunt & deleteria: cujusmodi etiam de pulſatilla recenti intus homini nociva, brutis vero proficua in præſentiarum eſto judicium. PULLIS quoque ANSERINIS vel GALLINACEIS quam primum excluduntur aliquid herbæ noſtræ recentis contuſæ, cum pauxillo herbæ ſenecionis & alii vulgaris, ſacculo incluſis, antequam aliam aquam guſtaverint, in puerili urina exhibetur, ſpe certiſſimi experimenti, quo ejusmodi pulli a quocunque contagio & omni aeris injuria ſint liberi manſuri; quapropter etiam Sect. I. cap. 1. §. 6. Keuchelkraut dictam fuiſſe notavimus. Taceamus jam APES, quæ ſtatim primo vere pulſatillas indefeſſe viſitare ſolent, atque ex eis materiam favis componendis aptam, in ſui generis propagationem, humanarumque rerum uſus colligere.

Aqua deſtillata ſimplex.

Hujus præparationem diverſimode ſuſcipiendam Autores ſvadent: Joh. Bauh. eam partim ex tota planta per Alembicum deſtillandam, partim e ſolis foliis eliciendam docet: Tragus vero ad acredinem ejus aliquantum leniendam & mitiorem reddendam per MB. tractandam vult, in quod Taber-

næm.

næm. consentit, sed destillatione peracta, solaribus radiis re-ctificare jubet. Schrœderus aquæ ex pulsatilla præparatæ, in Pharmac. sua p. 154. quidem mentionem injicit, verum qua ratione cum aliis vegetabilibus destillanda sit lib. 2. c. 38. p. 128. præmisit, ostendens, quod herbis vel floribus minutim incisis & conquassatis (ne empyreuma contrahant) ▽ affundi debeat, & deinde destillatio per MB. peragi. Ex Poterii Pharmacop. Spagirica p. 72. elicitur, quod pulsatilla recens & succulenta primum cultro vel forficibus incisa contundenda sit, contusa deinde cum suo succo, vasi vitreo vel terreo vitriato stricti orificii indenda, quod vas in loco frigido per aliquot dies recondendum, donec herba vel succus acorem quendam contraxerit, tunc per refrigerationem destillanda. Si autem aqua nondum satis vim plantæ redoleat, iterum recens herba accipienda, cui contusæ, extracta aqua reaffusa denuo destillanda erit. Ubi tamen notandum, pulsatillam, quod cum calidior sit, ejusque vis profundius hæreat, longe felicius per vesicam destillari posse, præprimis si affusa fervida aqua ad minimum unius diei maceratio præmittatur. Id quod frequenti experientia edocti scribimus. D. Gottscheid eam cœruleo colore in destillatione prodire asserit, dubius hærens num hujus coloris causa cupreæ vesicæ non satis stanno obductæ adscribenda sit? num vero id per accidens evenerit? Ubi tamen destillationem in vitro se nunquam tentasse fatetur; & tandem concludit quod sic contra Chymicorum assertum tincturæ transcendant alembicum. Flor. Pruss. p. 209. num. 576. & p. 160. num. 432. Hoc assertum celeberrimi Viri nos non una vice curiositatis gratia in examen vocasse, negare non possumus; non enim solum in vesica cuprea, sed etiam in XX observata consveta encheiresi destillationi subjecimus, nihilominus tamen spe, colore cœruleo eam eliciendi, frustrati sumus, ita ut fateri cogamur nos causam hujus irriti eventus penetrare

non

non potuiſſe, præprimis cum Experientiſſ. Schrœderus, qui ejusdem cum Gottſcheidio eſt opinionis, ſcripſerit: *Si colorem nativum Spiritibus & aquis deſtillatis conciliare volueris, impone eos in* XX *ut tranſeat aqua extillans*: cui opinioni tamen eventus, niſi forte Clariſſ. Autor vehementi igne procuratum tranſitum intelligere voluerit, quo mediante nonnullæ tingentes particulæ ſimul cum aqua unitæ in conſpectum prodiiſſe viſæ fuerint, nunquam reſpondiſſe deprehenſus eſt; ut taceamus ejusmodi deſtillandi modum nec artis præceptis congruum, nec aquæ deſtillatæ proficuum eſſe poſſe, ſed potius ad labefactandas ejus vires quam maxime aptum; quapropter non ſine cauſa modo citatis verbis Schrœderum ſequentia adjeciſſe legimus: *Verum enim vero minus durabilis* ▽ *illa futura eſt*, l. c. num. 5. Num autem *aqua deſtillata compoſita* exinde præparetur, neque autoritate neque experientia nobis hactenus comprobatum fuit.

Aquæ deſtillatæ uſus

I. INTERNUS.

Hæc aqua ratione modo dicta deſtillata doctiorum ſvaſu, variis uſibus applicatur: non enim ſolum vulnera ſanat & pota ſudorem provocat, ut Camer. in Epit. p. 392. tradit, ſed etiam alvum laxat, pravos ſudores expellit, inprimis contra quartanam, ſi ea in initiis adhuc hæreat, ſalubriter propinatur. Tabernæm. pro doſi antifebrili aſſignat 4. vel 5. uncias, quibus ſumtis vehementer ſudor elici debet, ut hydrops quæ plerumque quartanam comitari ſolet caveatur; quodſi vero Theriaca Andromachi ℈j, aquæ ℥iv vel quinis miſceatur, per ſudorem peſti adverſatur, atque omne contagium expellit. In Pruſſia ob inſignem deobſtruendi vim in intermittentibus quoque febribus exhibetur, quod jam Camerar. in

Matth.

Matth. Germ. p. 202. b. obſervavit, de quo etiam conferri meretur Simon Pauli in quadripart. Botan. p. 123. Vocatur autem in noſtra Pruſſia ſequenti ratione in uſus: ſcilicet ▽ deſtillata largo hauſtu ſumpta ad vomitum ciendum felici ſucceſſu in febribus intermittendis adhibetur, imo ut univerſale medicamentum in hoc morbo commendatur. Cujus experimenti fidem roborat non ſolum quotidianus uſus, ſed etiam Autoritas Doctiſſ. Gottſcheidii ſic ſcribentis: *Aqua pulſatillæ verno tempore extracta, experimento certo febrifuga eſt, unciarum trium pondere ſumta: vomitum movet acri ſapore.* Flor. Pruſſ. p. 209.

II. EXTERNUS.

Licet autem qualiscunque aquæ noſtræ internus ſit uſus, magis tamen eam & tutius ſicuti & totam plantam externis partibus corporis adhiberi poſſe, eamque purificandis & mundificandis vulneribus aptam & tolerabilem eſſe, cum Trago ex Hiſt. Stirp. p. 414. ſtatuimus. Camerar. edit. Germ. p. 203. in tremore artuum, in podagra, paralyſi & arthritide, quibus Valentinus & Chiragram addit, præprimis ſi partes affectæ aqua paululum tepefacta ſæpe perfricentur, & laventur, ob penetrantem & calefacientem ejus vim conducibilem eſſe vult. Tabernæm. aquam pulſatillæ naribus inditam potentiſſime pituitam & humores a capite educere catarrhosque ad fauces & pulmones deſtillantes ad nares divertere autumat. Quod Schrœderus in Pharmacop. confirmat, dicens: *Aqua ex herba pulſatillæ præparata obſtructioni narium conveniens eſt.* h. i.

Syrupus ex floribus.

Exprimitur e Pulſatilla recens tuſa non ſolum ſuccus variis eroſionibus accommodatus, ſed etiam Syrupus e floribus coquitur, qui in defectu violarum Martiarum, a doloſis Pharmacopolis ad tingendum hujus nominis ſyrupum adhiberi ſolet,

et, addita ſacchari clarificati plure quam opus eſſet quantitate, ne fraus ex acrimonia plantæ innoteſcat. Non aliter quam quidam hujus farinæ Sophiſtæ ex relatione D. Valentini, maſſa, Gallis *Tourneſol en Pierre*, pictoribus *Turnis*, noſtris officinis *Lacmus* dicta, quæ ex Heliotropio Tricocco alias Torneſol nominato præparatur, non paucis imponere ſolent; quod fit, quando eam Saccharo depurato proportionate miſtam & ad mellis conſiſtentiam coctam & inſpiſſatam, pro violarum Syrupo ſupponunt. Quod Gieſenſis quidam Pharmacopola Dn. Valentino ultro faſſus, recenſendo quod cum ex incuria ante aliquot annos vitrum Syrupo violarum repletum confractum fuiſſet, & Syrupus in terram diſſiparetur, ille mox Syrupo, in quantum fieri potuit, e terra ſublato, ei non parum ſacchari addiderit, eumque modo dicta maſſa coloraverit, exinde effeciſſe, ut pro vero & genuino ſyrupo violarum, citra offenſam emptorum, divendi potuerit. Valentini in Muſeo Muſeorum part. I. p. 172. Ipſe ego ante aliquot annos noveram nobili genere natam conjugem, quæ quovis vernali tempore copia florum pulſatillæ, e ſylveſtribus Ogoncenſibus conquiſita, ex eis ſyrupum præparare ſolebat, tam eleganti purpura conſpicuum, qui de colore cum viola Martia certare videretur: quo in fervore febrium compeſcendo, in tuſſi, aſperitate gutturis, catarrhis acribus, plevritide, variisque obſtructionibus tollendis, inprimis parvulorum utebatur. Sed audiamus quam infelici ſucceſſu, ex ſyrupo ut putabatur ſalutifero, quotidie tam largiter propinato, factus eſt potus lethifer, ex cujus acredine Nobiliſſimi mariti pulmones brevi tempore ita fuere eroſi, ut ſenſim hectica febri inducta ſputum antea cruentum, tandem etiam purulentum inſequeretur: Cui malo cum non aliis remediis quam ſyrupo pulſatillæ, multis licet diſſvadentibus ſuccurrere voluerit, ex Scylla in Charybdin fuit deventum, & mors brevi inſecuta: liberi quoque duo, ab ulcere pulmonum, quod

poſt

post mortem præsentiam suam in pectore cujusvis sat luculenter prodebat, misere suffocati sunt. A quo abusu multi inprimis in Lithuania adhuc dum hodie seducti impositione nominis ficti herbilegarum mulierum, quo pulsatillam Germanice die Lungenbluhm efferre solent, abstinere nolunt, sed in tollenda asperitate tracheæ arteriæ, peripnevmonia, tabe vera seu phtisi, asthmate & tussi, ad modo dictum syrupum ut ad sacram anchoram recurrunt, eumque licet in modo dictis affectibus cassa dignus non sit nuce, tamen ut sacrum Eleusinium ventosis decantant elogiis, non tamen sine magno sui suorumque detrimento. A quibus offaciis quavis occasione abstinendis, quemlibet bonum his fideliter præmonendum putavi.

Radices.

Radicem Matthiolus subdulcem quidem esse ait, & ideo non longe abesse a temperato: cujus opinionis Autor jam Castor Durantes in hortulo sanitatis edit. Germanicæ ex Italico in Germanicum traslatæ p. 815. extitit: verum Rajus ex Tragi sententia, qui siccatam sternutamenta ciere, crudam vero mansu pituitam elicere asseruit, contrarium statuit, & procul abesse a temperie concludit. Sed pergit Matthiolus radicis virtutes ulterius recensere, scribens: quod sint, qui hanc miris laudibus efferant contra pestilentiam & ad hausta venena, itemque contra omnium venenosorum tum morsus, tum ictus, ob quam virtutem etiam antidotis addi conjicit; quam efficaciam ei quoque tribuit Tabernæm. ostendens, quod ideo etiam suo electuario, quod *ovum aureum* nominavit, cum aliis compositis admiscuerit. Quanquam radici soli hanc virtutem, vel in forma pulveris, vel cum vino drachmarum duarum pondere sumptæ quoque adscribat, ita tamen ut tempore pestis ab adultis ex vi-

vino cum aceto permisto calide propinari, & postmodum duabus vel tribus horis sudor vehementior elici, ab infantibus vero quotidie in conserva rosarum vel caryophyllorum comedi debeat. Ab aliis tamen radix concisa in vino maceratur, & deinde ejus infusi quotidie horis matutinis ab ægris contra venena calix unus vel alter evacuatur, de quo tamen distinctius in proxime sequentibus dicetur. Hæc tam magnifica hujus radicis commentatio celeberrimo Dano Sim. Pauli in quadripart. Botanico occasionem dedit opinari, num confectio illa Orvietana dicta, quæ ex Italia ad nos advehitur, & tantopere contra pestilentiam ipsam reliquosque pestilentes morbos, venena hausta & morsus venenatorum animalium hucusque commendata est, non quoque quandam portionem radicis pulsatillæ participet? Verum cum ex quinque sibi ab amicis communicatis confectionis Orvietanæ descriptionibus illarum nullam, vel micam radicis dictæ recepisse observaverit, ab ea quam habuit opinione abstinuisse l. c. ingenue fatetur; in cujus partes quoque abiisse videtur Valentinus l. cit. p. 172.

Radicum Pulsatillæ Conserva.

E radicibus Pulsatillæ Conserva quoque conficitur, cujus præparationem sequenti modo instituendam Tabernæmontanus præscribit: R. Radicum recentium a fibris & exteriore cortice probe liberatorum, latorum & depuratorum ℥viii, quibus antea in orbiculos dissectis & concisis, in mortario lapideo, pistillo ligneo in minutissimas partes conquassatis, adde sacchari albi ℥xvj, idque quassando misce & tam diu continua, donec ad justam spissitudinem pertingat, & deinde in vitro probe obturato in usus reserva. Non immerito hic notamus Tabernæmontanum reticuisse, quod Radices prius coquendæ sint, itemque quod proportio Sacchari in radicibus utpote siccioribus ad triplum ascendere debeat, & inter tundendum nonnihil

∇æ

▽æ ſtillatitiæ addendum ſit, quod tamen neceſſario obſervandum fuiſſet.

Uſus Conſervæ.

Sumitur hæc Conſerva præſervative, contra peſtem, mane, jejuno ventriculo, magnitudine dimidiatæ caſtaneæ, Tabernæm. Vollk. Kräuterbuch p. 83. quod confirmat Valentin. l. cit. verum doſi paululum aucta, ſcilicet caſtaneæ integræ magnitudine comedendam ſvadet: quod tamen diverſum conſilium habita ætatis ratione facile conciliari poterit.

Vinum Pulſatillatum.

Vinum quoque medicatum a radicibus pulſatillæ exſiccatis tempore autumnali præparatur, cujus conficiendi non unam methodum oſtendit Tabernæm. idque ut eo felicius præſtet, l. 2. c. 23. p. m. 954. lectorem curioſum relegat ad vinum enulatum, ibique artificioſe illud concinnandi varias formulas tradit: nonnulli, inquit, muſtum (intellige a racemis optimis, ac minime vitiatis expreſſum) ſeligunt, quo probe cocto, radices pulſatillæ ſiccas & negligenter contuſas immittunt, quas temperato igni bulliendas exponunt, donec muſtum pulſatillæ immerſæ ſaporem ac virtutem exacte imbiberit. Alii, pergit, acceptis exſiccatis (potius dixerim ſemiſiccis) radicibus eisque conciſis, linteo aut cannabino ſacculo admodum raro imponunt, & ſic doliolo, lagenæ vel alii vaſculo, ex munda & proba materia concinnato, vinoque repleto injiciunt, additis nonnullis lapillis, ne innatent, ſed in fundum deſcendant, quæ ubi ſatis emaduere & maceratæ fuerint, quod ex odore & ſapore vini illis imbuti percipitur, excluſo ſacculo & radicibus exemptis, alias radices recentes indunt, quod tamdiu repetunt, prout vel fortiori vel remiſſiore amarore & acredine vinum pulſatillatum imbutum eſſe optant. Addit & tertium modum

M vini

vini hujus medicati, ad modum vini enulati comparandi; ſcilicet jubet radices in minutias diſſectas in olla recenti aliqua cum duabus vel tribus menſuris muſti coquere, & cum probe deferbuere, integrum dolium muſti, vel quantum cuique libuerit, antea itidem aliquantiſper cocti ſuperinfundere, quibus miſtis iterumque paulum recoctis, depuratis & elutriatis, in aliud vas transfundere: Vbi tamen notandum, quod ſi vinum in vaſe reſederit, infuſione repetita vas ſemper repleri debeat. Denique refert, quod quidam radices muſto injectas aliorum vinorum more efferveſcere permittant, donec clarum & defecatum vinum ex his miſcellaneis ſecerni poſſit. Non immerito hic quæri poſſet; quinam modus ex modo traditis vini medicati compoſitionibus præferendus ſit? Num ille qui per naturalem muſti calorem, validamque ebullitionem, interna rerum infuſarum, nec non confuſarum agitatione, velitatione & impreſſione peragitur, ex quo id, quod injectum & comprehenſum eſt, a natura quaſi ipſa conficitur &, ut ita loquar, incorporatur? Num is qui radices per ſacculi incluſionem & excluſionem, quæ via trita alias eſt & vulgaris, quam etiam novit media de plebe popellus, doliis immittit, neglecta omni efferveſcentia? Num denique qui ebullitione iterata inſtitutus eſt? Quod ultimum attinet modum eum cum Antonio Mizaldo ſuſpicione non carere ſtatuimus, ob rerum immiſſarum ebullitionem plus æquo majorem vel minorem, intenſiorem vel remiſſiorem, nulla graduum baſi in his præſcripta & obſervata. Multa enim ſunt quæ longam coctionem ſuſtinent, alia vero brevem, cujus ſi non habeatur perſpecta ratio, vires decoctorum reſolvuntur, & in fumos illico abeunt. Secundum quod ſpectat, hoc quidem concinnandi vini pulſatillati artificium paratu omnium facilliмum eſſe concedimus, ſed non minus quam modo dictum ſuſpectum. Periculum enim eſt ne muſto immerſæ aut natantes materiæ ex mora, loci natura, difflatione præpedita, & aliis, vitium

tium trahant,ac vinum ita labefactent,ut ætatem ferre non possit,sed in vappam illico abeat, aut ante tempus acescat. Primum itaque præstare putamus, quod musti fervore per ignem sedato, inprimis si despumatio insecuta fuerit, radicum musto inditarum tantam macerationem admittit, quæ illarum naturam ac facultates tam gustatu, quam odoratu induisse ac imbuisse,deprehenditur. Ubi tamen lenta eaque levi ebullitione negotium hoc quam felicius absolvi poterit. Ultimum quod per solam effervescentiam & fermentationem propositum fuit,quoniam maxime necessariis circumstantiis carere deprehenditur, ut mancum & mutilum studio prætermittimus. Confer.Anton. Mizaldi Artificia Medica p. 37. & seq.

Usus Vini Pulsatillati.

Vinum hoc Pulsatillatum grati est saporis & valet ad præservandum contra venenatorum violentiam, & inprimis pestilentiam, de mane quotidie potum: sicuti etiam adversus morsus & ictus venenatorum animalium prodest,id quod iterum testatur Tabern. l. c.

Semen.

Semen licet tanta canitie comosa sit obsitum,ut nullius usus primo intuitu videatur,quod & plerosque Botanicorum movit altum de ejus virtutibus silentium tenere; nihilominus tamen inter eos quos nobis evolvere licuit Autores,unus Hieron. Tragus illud de meliori commendat,nimirum quod non solum tuto illis præberi possit, quos calculus vexat,si scilicet vino decoctum fuerit, sed etiam præterea frigidis mulieribus ad provocandas menses propinari: cujus postremum consilium a mulierculis nostris non semel in usus vocatum fuisse, certo perspectum habemus.

Sal.

Sal ex noſtro vegetabili ad leges a Poterio præſcriptas evocavimus: num autem ejusdem ſit valoris & efficaciæ cum reliquis ſalibus vegetabilium, de eo ſerram contentionis cum aliis reciprocare nolumus, ſed Medicis id dijudicandum relinquimus. De cætero ſi quis de hac controverſia fuſius aliquid legere cupit, evolvat Joh. Beguini Tyrocin. Chimici lib. 1. c.17. Gvern. Rolfinc. Chymiæ in Artis formam redactæ l. 5. c. 1, & 2. Ledelii Tract. de Cent. Min. p. 130. aliorumque plurium ſcripta, ubi curioſitati ſuæ ſatisfactum fuiſſe fatebitur.

Spiritus.

Spiritum quidem e pulſatilla elici poſſe, nemo eſt qui inficias iverit: verum ob ejus vim cauſticam non facile in uſus vocandum eſſe quilibet ſimul intelligit. Quemadmodum etiam experientiam noſtram circa ejus uſum profiteri poſſumus nullam.

CAPUT III.

Obſervationes quasdam circa Pulſatillam ſubjungit, in quibus oſtenduntur

I. Præſagia.

RUricolæ varia prognoſtica ex Pulſatilla præſagire ſolent, atque ex ea mox frugiferi vel inauſpicati anni, mox aëris frigidi, nimboſi val aridi rationem prædicere. Florem pulſatillæ ad exortum ſolis ſiccum exiſtentem pluvias, rore madidum, bonam aëris temperiem præſagire autumant: apertum ſummo mane ventos, clauſum ad meridiei tempus frigus denotare putant: ſi poſt medium Aprilis flos a terra non prorumpat, continuationem frigoris, & ſimul annonæ gravitatem annunciant: ſi autem initio ingruentis menſis dicti copioſiſſime efflore-

ſcat,

ſcat, largam meſſem ſpondere indigitant: ſi araneæ in ea nidulantur copioſæ, graſſantem peſtem, aut ad minimum varia morborum genera hominibus & pecudi indicare contendunt; quodſi vero repente injuria aëris exſiccentur vel corrumpantur, enecationem pullorum augurari debere affirmant. Quæ divinatio cum in lubrico hæreat, & plerumque vanitate & ſuperſtitione pollui ſoleat, cum dubio & fallaci ſuo ſucceſſu jure meritoque rejicitur, & credulo vulgo in putatitium ſolamen relinquitur.

II. Faſcinum.

Creditur etiam florens Pulſatilla die Viridium collecta, & vel cunis impoſita vel ex cunis & collo infantum ſuſpenſa, faſcinationem prohibere aut avertere; ſed cum talia ſuperſtitione plena ſint, plane rejicienda cenſemus.

III. Ova tincta.

Feriis Paſchalibus, floribus Pulſatillæ ova noſtrates tingere conſveverunt: Aqua enim impoſita floris petala, prius in aheno vel olla effervefcere ſinunt, quibus tamen aliqui paulum aluminis adjiciunt, & deinceps ova impoſita ad juſtam ſoliditatem coquunt, quæ ſeſe deinde colore viridi dilutiore commendant, qui tamen ſi flos totus cum piſtillis ſuis ad tingendum adhibeatur, facile ſaturatior evadit. Obtinuit hic mos ova Paſchalia pulſatilla colorandi jam dudum & in aliis regionibus. Iohannes Andernacus Commentario in Pauli Æginetæ libr. 7mum cap. 3. Pulſatillæ purpureæ mentionem faciens, ait: *Mulierculæ hac ova tingunt*, p. 38. In Turcia, Perſia, Meſopotamia ova Paſchalia ab iis, qui memoriam effuſi ſangvinis Jeſu Chriſti devoto pectore recolunt, purpureo colore tingi perhibentur, a quibus autem talia beneficia pio corde non volvuntur, ovis viridibus vel luteis dicuntur eſſe contenti, quibus in certis ludis circa feſtum Paſchatos conſvetis utebantur, ut Tenzel ex Thomæ Hyde Hiſtor. Nerdiludii, in Biblioth. Curio-

riosæ primo Repositorio, ad Annum 1704. p. 719 recenset; qua ratione autem Ova Paschalia rubro, cœruleo, luteo & viridi colore tincta, sæpe etiam auro vel argento obducta in memoriam resurrectionis Jesu Christi tam a Russis, quam ipsorum Duce, Festo Paschatos dispensentur, videri poterit Petrus Petrejus part. 6. Chronici Moscovitici; itemque M. Daniel Schneider in Titio continuato, Loc. XI. Sect. III. c. 3. p. 483. Quod & de Palatinatu Rhenano recenset Valentin. in Museo Museorum, lib. 2. c. 14. simulque miratur, quod ova paschalia pulsatillæ floribus, qui tamen purpurei sunt, tincta, viridia evadant. p. 171.

IV. Corollarum ornatus.

Externis usibus associamus quoque ornatum, quem accolæ pulsatilliferorum locorum in connectendis sertis, corollis & pugillis quærere solent, inprimis diebus festis, quibus tam adolescentes quam adolescentulæ capita, pectora & manus exornant, cum iis in templis præsentes se sistunt, sertisque recentibus halant: quod etiam observare non negligunt tum, quando nuptias celebrant, in quibus juvenes sertis modo dictis & pugillis pulchre redimiti lætantur.

V. Symbola.

Denique Symbola quædam pulsatillam ostendere videmus, & quidem

1) Fragilitatis & brevitatis vitæ humanæ.

Color pulsatillæ varietate ludit, flore superbit eleganti, verum ita caduco, qui brevi spatio solis calore langvescat, aut levi aura spirante decidat, & simul cum suo semine discutiatur. Pulcher quidem

- - - *brevis est tamen usus in illo*
Namque male hærentem & nimia levitate caducum
Excutiunt iidem, qui perflant omnia venti.

Ovid. lib. 10. Metamorph. Quo ipso vitæ humanæ conditionem & formam inprimis fluxam, instabilem atque caducam ostenten-

ſtendit: quæ dum calore iræ divinæ tangitur, aut ſaltem levi vento tentationum morborumque vexatur, omnem ſuam gloriam deponit. Explicat hanc inſtabilitatem rerum humanarum ipſe Spiritus Dei: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus ſicut flos agri.* Ut autem pulſatilla dum nata eſt conſeneſcit: ſic nos naſcentes morimur, finisque ab origine pendet, adeo ut ſcite in hanc rem dici poſſit:

Vita fugax, quam cauſa levis tua ſtamina rumpit?
Ita levi flatu, Pulſaque tilla cadit!

2) Amicitiæ fucatæ.

Sicuti pulſatilla aliud deſignat, aliud exhibet: externa pulchritudine ſua & colore multa promittit & admiratoribus ſuis ſpe eximiæ virtutis, qua in ſuperandis reliquis plantis pollet, blanditur, in rei veritate tamen pauca præſtat, quin potius multis plantis poſterior exiſtit: ſicuti non minus campanam repræſentare videtur, ſonum tamen, licet fuerit pulſata, nullum edit: ita hypocritæ ſub ſpecie intimæ ſinceritatis fucatam amicitiam offerunt, & cum ea magna pollicentur, reipſa tamen campanis ſunt ſimiles, quæ piſtillo carent, aut horologiis turbatis, quæ aliud ſignant, aliud ſonant: aliud mente volvunt, aliud ore deſignant, aliud lingva loquntur, aliud ratione ſvadent. Cum tamen lingva, cor, mens cum vita ab æqua lance pendere debeant. Ad quod non incompte Kemp in den Poetiſchen Luſt-Gedancken:

Die Parolen dieſer Zeit
Sind wie Bluhmen auf der Heyd,
Wenn der Wind kommt drein geflogen,
So verleurt ſich Bluhm und Kraut:
Alſo wer Parolen traut,
Der wird offt dadurch betrogen.

Clau-

Clausula.

Interea L. Clariss. quod Tibi in præsenti opusculo offerre conati sumus argumentum benevole accipe,& num ubique rem acu tetigerimus, æqua lance pondera: quod si nos non ubique ex voto ad scopum collimasse deprehendes, cogita humanum id reputari, pollicemur Te meliora monentem lubenter auscultaturos. Interea hæc

Si placent, Tibi gratulor, mihique:
Tibi, quod fueris scopum secutus;
Mihi, quod fuerim scopum secutus.
Si vero Tibi displicent: Amicus
Eris non minus: id rogabo solum,
Ut cum candidiore mente fiat:
Cordatis etenim dolus repugnat.

Moscherosch. Cent. 1. Epigr. 99. p. 28. Tibi interim summe DEus, totius Universi plantarumque Creator omnipotens, cujus gloriam non solum cœli enarrant, sed quælibet herba demonstrat, juxta illud Poëtæ:

Et levis est cespes qui docet esse DEum;

Et rursus:

Præsentemque docet quælibet herba DEum.

In quod & Aristoteles quamvis gentilis consentit, dicens: *nulla res est naturæ, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur, & in qua non adsit Naturæ Numen*, lib. 1. de part. Animal. c. 5. sit pro Tua singulari Gratia & Benignitate Laus & Gloria reddita. Concede ex peculiari Tua bonitate, ut singula vergant in Nominis Tui sanctissimi & nunquam interituri gloriam, Historiæ Patriæ ornamentum & Rei literariæ emolumentum: id quod Tractatus nostri præcipuus esto

F I N I S.

No-

Nomina Autorum,

per quos in hoc Tractatu profecimus.

Pauli Æginetæ Opera Græc. & Lat. Basil. 1538. fol.
Paul. Ammanni Suppellex Botanica, Lipſ. 1675. 8.
Ejusd. - Character plantarum. Francof. & Lipſ. 1685. 12.
Aristotelis Opera Aurel. Allobr. 1605. fol.
Casp. Bartholini opusculum de Unicornu. Hafn. 1628. 8.
Joh. Bauhini Hist. Plant. Universſ. Ebrodun. 1650. & 1651. fol.
Casp. Bauhini Prodromus. 1620. 4.
Ej. - - Pinax. Basil. 1623. 4.
Ej. - - Phytopinax. Ib. 1596. 4.
Ej. - - Animadversiones in Hist. gener. Plant. Ff. 1601. 4.
Joh. Beguini Tyrocinium Chymicum, Regiom. 1618. 8.
Joh. Bodini Theatr. Naturæ. Hanov. 1605. 8.
Ol. Borrichius de Usu Plantarum Indigenarum, Hafn. 1690. 4.
Jacobi Breynii Plantarum Exoticarum Centuria, Ged. 1678. fol.
Andreas Cæsalpinus de Plantis, Florent. 1583. 4.
Joach. Camerarius in Matthioli Kräuterbuch. Frf. am Mayn 1626. fol.
Barth. Carrichters Kräuterbuch. Straßb. 1618. 8.
Dom. Chabræi Stirpium Sciagraphia, Col. 1666. fol.
Carol. Clusii rarior. Plantar. Historia, Antw. 1601. fol.
Ej. Historia rarior. stirpium per Hispaniam observat. Antv. 1576. 8.
Gregor. Cnapii Thesaurus, Cracov. 1644. 4.
Adriani Cocquii Historia ac contemplat. sacr. Plantar. Vlissing. 1684. 4.
Fabii Columnæ plantarum minus cognitarum Ecphrasis. Romæ 1616. 4.

Ej. - in Nardi Antonii Rechi volumen Annotat.
Valerii Cordi Hiſtor. Stirp. Tig. 1561. fol.
Ejusdem Annotationes in Dioſcor. ibid.
Joh. Coſtæus de Univerſali ſtirpium natura, Auguſt. 1578. 4.
Oſw. Crollii tract. de ſignaturis. Lipſ. 1634. 4.
Jac. Dalechampii Hiſtoria Plantarum generalis. Lugd. 1587. fol.
Pedac. Dioſcoridis Opera, Interprete Marcello Vergilio. Col. 1529. fol.
Remb. Dodonæi Pemptades, Antv. 1616. fol.
Conr. Geſnerus de Hortis Germaniæ. Tig. 1561. fol.
Joh. Gottſched Flor. Pruſſ. Regiom. 1703. 4.
Nehem. Grew Idea Hiſtor. Phytolog.
Pauli Hermanni Catalogus Horti Academici Lugduno-Batavi. Lugd. Bat. 1687. 8.
Joh. Henr. Heucheri Index Plantarum Horti Acad. Wittemberg. Wittemb. 1711. 4.
Maurit. Hoffmanni Flora Altorffina. Altorff. 1674. 4.
Thomæ Hyde Hiſtor. Nerdiludii. Oxon. 1694. 8.
Dion. Joncquet Hortus Pariſienſis. Pariſ. 1659. 4.
Joh. Jonſtonii Notitia Regni Vegetab. Lipſ. 1661. 12.
Eman. Königii Regnum Vegetab. Baſil. 1696. 4.
Sam. Ledelius de Centaureo minore. Frf. 1694. 8.
Matth. de Lobel Stirpium Hiſtoria, Antverp. 1576. fol.
Ejusdem Adverſaria. ibid.
Ejusdem Opera in Holländiſcher Sprach.
Marcelli Malpighii Anatome Plant. Lond. 1675. fol.
Petr. Andr. Matthioli Opera per Caſp. Bauhinum, Frf. 1598. fol.
Ej. Kräuterbuch per Joach. Camerar. Ff. 1626. fol.
Ejusd. Epitome, Frf. 1586. 4.
Chriſtiani Menzelii Index Nominum Plantarum. Berol. 1682. fol.

Chriſt.

Christ. Merretti Pinax rerum naturalium Britannicarum, Lond. 1667. 8.

Anton. Mizaldi Artificiosa Methodus. Col. Agr. 1577. 8.

Robert. Morisson Plant. Hist. Universalis, Oxon. 1680. fol.

Mart. Mylii Hortus Philosophicus, Gœrlicii 1597. 8.

Herbar. Pancovio-Zornianum. Cöln an der Spree 1673. 4.

Theoph. Paracelsi Opera, Francof. 1603. 4.

Sim. Pauli Qvadripartitum Botan. Argent. 1667. 4.

Petr. Petrei Chronicon Moscoviticum.

C. Plinii Secundi Histor. Natur. Lutetiæ 1532. fol.

Joh. Bapt. Portæ Phytognomia, Francof. 1591. 8.

Petr. Poterii Pharmacopœia Spagyrica, Col. 1624. 12.

Joh. Raii Historia Plantarum, Londin. 1686. fol.

Ejusd. Stirpium Europæarum extra Britanniam nascentium Sylloge, Lond. 1694. 8.

Ejusd. Methodus Plantarum emendata & aucta Londin. 1703. 8.

Gvern. Rolfincius de Vegetabilibus, Jen. 1670. 4.

Ejusd. Chymia in artis formam redacta. ib. 1672. 4.

Olaus Rudbeck de fundamentali plantarum Notitia.

Joann. Schrœderi Pharmacopœia, Francof. 1677. 4.

Casp. Schwenkfeld Stirpium Silesiæ Catalogus, Lips. 1601. 4.

Simon Sirenii Zelnik, Cracov. 1613. fol.

Adam Spigelii Isagoge in rem Herbariam, Lugd. Bat. 1633. 16.

Joh. Bodæi a Stapel Comment. in Theophrast. Hist. Plant. Amstel. 1644. fol.

Wilh. Ernst Tenzelii Biblioth. Curios. Francof. & Lips. 1704. 8.

Theophrasti Eresii Histor. Plant. Amst. 1644. fol.

Jacob Theodori, Tabernæmontani, Kräuterbuch, per Casp. Bauh. Bas. 1664. fol.

Antonii Thylesii de Coloribus tractatus, Basil. 1529. 8.

Joſeph. Pitton Tournefort Inſtit. Rei herbariæ, Pariſ. 1700. 4.
Melch. Toxitis Kräuterbuch, Straßb. 1576. fol.
Hier. Traji Kräuterbuch, Straßb. 1595. fol.
Id. de Stirpibus, Davide Kybero Interprete, Argent. 1552. 4.
Mich. Bernhardi Valentini Muſeum Muſeorum, Frf. M. 1704. fol.
M. Terentius Varro de lingva Latina, 1581. 8.
Georgii Volcammeri Flora Norimbergenſis, Norimb. 1700. 4.
Marczina Urzędowa Herbarz Polſki, Cracov. 1595. fol.
Joh. Wigandus de Herbis in Boruſſia naſcentibus, Jenæ 1590. 8.

